



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Pars II. De Injuriis, & necessariâ restitutione in genere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

## PARS II.

*De Injuriis, & necessaria restitutione  
in genere.*

## CAPUT PRIMUM

*De Injuria, seu injustitia in genere.*

**Q. I.** *Quid est injuria?*

*Resp.* **Q** Est voluntaria violatio juris alieni. Sicut enim per actum justitiæ jus suum alteri tribuitur, ita per actum injustitiæ hoc Jus violatur. Porrò injuria censetur gravis, quando per se apta est parere tristitiam magnam, seu difficilè sedabilem, aut aversionem animi difficilè impedibilem, spectata communi hominum conditione, & communiter parit: nam talis injuria graviter repugnat Justitiæ fini, qui est pax, tranquillitas, mutuus amor per conservationem æqualitatis, & jurium.

**Q. 2.** *An volenti potest fieri injuria?*

*Resp. I.* Fit injuria consentienti ex dolo, vi, vel metu injustè incusso: quia talis non cedit moraliter Jure suo, saltem sufficienter ad tollendam injuriam. Nam cessio Juris tollens injuriam debet esse omninò voluntaria, & expers omnis injustæ coactionis, ac deceptionis: injuria enim non potest parere ullum Jus injurianti, & nemo debet commodum ex sua  
iniqui-

iniquitate reportare. Hinc qui ad vitam servandam dat pecuniam latroni, patitur injuriam, licet velit eam dare, quia in illam dationem non consentit nisi per vim injustam. Idem dicitur de consentiente per ignorantiam, ut si quis solvat centum, putans se ea debere, patitur injuriam, si quinquaginta tantum debeat; nam non vult dare centum, si non debeat.

*Resp. II.* Fit etiam injuria consentienti, quoties consensus est moraliter nullus, ut patet. Sic fit injuria solventi usuras, vel pretium justo majus pro merce, &c. quia consensus in ista est nullus, cum sit de re impossibili: nam dans vult ista dare tantum tanquam pretium, non autem gratis: sed impossibile est illorum esse pretium: mutuum enim est essentialiter gratuitum; & pretium est essentialiter quid aequale merci, ergo excessus pretii non est pretium.

*Resp. III.* Quoad jura abdicabilia consentienti omnino voluntarie non fit injuria, ex Reg. Juris 27. in 6. *Scienti, & consentienti non fit injuria.* Quia eo ipso, quod sponte consentiat, cedit efficaciter istis juribus: ideoque actio non est contra Jus, sed secundum Jus alteri concessum. Sicque nulla est violatio Juris, nec proinde iniuria.

*Resp. IV.* Quoad jura inabdicabilia consentienti fit vera injuria. Prob. 1. ex cap. 36. *De sent. excom.* ubi Innocentius III. ait: percussione Clerici ad satisfactionem alicujus offensa

fenſæ juxta morem Patriæ, triginta circiter  
 fuſſium percuffionibus corpus ſuum ultro  
 ſubjicientis, eſſe injurioſam, licet non ſit vio-  
 lenta, cùm ille canon non tam in favorem Clerici  
 ordinati, quàm in favorem ordinis Clericalis fue-  
 rit promulgatus. 2. Quia Jus inabdicabile eſt  
 illud, cui efficaciter cedere non poteſt Domi-  
 nus: ergo cùm tunc conſenſus ſit inefficax ad  
 tollendum Jus, quod habet conſentiens, ne  
 fiat illa actio; revera manet totum Jus illud,  
 ac proinde talis actio eſt verè injurioſa, utpo-  
 te contra Jus alterius permanens. 3. Innoc.  
 XI. damnavit hanc propoſ. *Copula cum conju-  
 gata conſentiente marito non eſt adulterium, adeo-  
 que ſufficit in Confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.*  
 Quippe Jus mariti eſt inabdicabile, cùm ex  
 natura matrimonii Jus copulæ ſit eſſentialiter  
 conjugibus affixum. Maritus tamen con-  
 ſentiens cenſetur condonare injuriæ repara-  
 tionem.

## CAPUT II.

*De natura, & neceſſitate reſtitutionis.*

Q. I. **Q**uid eſt reſtitutio?

Reſp. **Q**uid eſt reſtitutio? **Reſp.** Eſt rei alienæ redditio, vel damni  
 illati compensatio, debita ex Juſtitia ad æqua-  
 litatem: vel etiam rei alteri debitæ ſolutio.  
 Nam de ea ſic ſumpta hinc agetur. Unde eſt  
 actus Juſtitie commutativæ, quæ verſatur cir-  
 ca

ca æqualitatem rei ad rem ex S. Thoma 2.2. q. 62. a. 1. Differt à satisfactione sive latè, sive strictè sumptâ. Nam satisfactio latè sumpta est quid generalius, & complectitur tum restitutionem, tum etiam quamlibet reparationem, & subitionem poenæ pro offensâ alteri illatâ: satisfactio verò sumpta strictè est inhonorationis, ac contumeliæ illatæ reparatio, & sic spectat personam: at restitutio est rei alienæ redditio, vel damni compensatio, vel debiti solutio, & spectat res, non personas: nec semper supponit injuriam, ut satisfactio, nam v. g. qui depositum reddit, verè restituit, licet nullam injuriam intulerit. Quæ tamen de restitutione dicentur, applicari debent satisfactioni latè sumptæ, & reparationi famæ, honoris & aliorum bonorum, cum sit eadem ratio, ac regula pro his omnibus.

*Q. 2. An restitutio actualis necessaria est ad salutem necessitate præcepti?*

*Resp. Aff. nisi impotentia excuset, vel adsit justa causa differendi. Constat 1. ex Rom. 13. Reddite omnibus debita... nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. & Ezech. 33. Si fecerit iudicium, & justitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam iniustum: vitæ vivet, & non morietur, &c. & Jac. 5. Ecce merces operariorum, quæ fraudata est à vobis, clamat, &c. 2. ex Reg. 4. Jur. in 6. Peccatum*

*catum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*  
 Idem habet Sancti Augustin. in c. Si res 14. q.  
 6. ibi: si res aliena, propter quam peccatum est,  
 cum reddi possit, non redditur, non agitur peniten-  
 tia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non  
 remittitur peccatum nisi restituatur ablatum:  
 sed, ut dixi, cum restitui potest. 3. Quia qui non  
 restituit cum potest, nec habet rationabilem  
 causam differendi, voluntariè nocet, & facit  
 injuriam proximo: nam eum privat possessio-  
 ne, & usurei suæ, vel debitæ, & violat Jus quod  
 habet, ut rem illam nunc possideat. At inju-  
 ria quælibet prohibita est lege divina naturali,  
 præsertim hæc generali: *Quod tibi non vis fieri,  
 alteri ne feceris: suum cuique reddendum.* Quod  
 procedit, sive res sit debita ob injuriam, sive  
 ex contractu justo, cum sit utrobique eadem  
 ratio, & creditor habeat Jus strictum possi-  
 dendi rem sibi ex contractu debitam. Hoc  
 autem præceptum divinum naturale est pri-  
 mariò negativum, & secundariò affirmati-  
 vum. Nam primariò vetat, ne retineatur  
 alienum, vel alteri debitum invito rationabili-  
 ter Domino, & ideò præcipit actum restitu-  
 endi. *Præceptum de restitutione facienda, quam-  
 vis secundum formam sit affirmativum, implicat  
 tamen in se negativum præceptum, quo prohibe-  
 mur rem alterius detinere.* Ait S. Thom. q. 62.  
 a. 8. ad 1. quare obligat semper pro semper,  
 nam semper illicitum est retinere rem alienam,  
 Domino rationabiliter invito: deinde omis-  
 sio

sio restitutionis est virtualiter acceptio rei alienæ continuata, invito Domino, ideóque furtum continuatum contra præceptum negativum, *non furtum facies*. Unde Conc. Gener. Later. IV. c. 39. ait *non multùm interesse, præsertim quoad periculum animæ, detinere injustè, ac invadere alienum*: & à Trident. sess. 25. c. 12. qui decimas non solvunt, res alienas invadere dicuntur. Hinc mortaliter peccat, qui notabili tempore omittit restitutionem, vel solutionem integram, quam potest facere, vel etiam brevi tempore omittit, si inde creditor damnum grave patiatur. Quia tunc graviter lædit Jus alterius: nec excusatur, eò quòd imposuerit hæredibus suis obligationem restituendi, cum hanc ipse nunc habeat, & implere teneatur. Adde quòd sæpè hæredes non restituant, ideóque periculum sit ne omittatur restitutio: qui autem non potest restituere, debet habere voluntatem saltem implicitam restituendi, cum primùm facultas restituendi aderit, & moralem diligentiam adhibere ad hanc facultatem comparandam: qui enim tenetur ad finem, simul tenetur ad media ad eum necessaria. Qui verò non potest totum restituere, tenetur statim restituere, ac solvere partem quam potest, cum circa illam non habeat justam excusationem.

Q. 3. *Quandonam peccatum injustæ detentionis continuatur, & multiplicatur?*

Resp. I. Qui non restituit, vel debita non solvit, cum potest, & debet, actu peccat toto

tem-

tempore, quo id omittit: quia omiffio resti-  
tutionis, vel solutionis debitæ toto eo tempo-  
re, quo fieri potest, est injuriosa proximo:  
nam per illam continuè læditur jus, quod ha-  
bet possidendi rem suam, vel sibi debitam, &  
ea utendi; & talis omiffio est sufficienter vo-  
luntaria, cum omittens possit, & debeat resti-  
tuere, & ad hanc obligationem advertere.  
Tunc enim si non restituit habet voluntatem  
continuum saltem interpretativam detinendi  
rem alienam, vel alteri debitam: quæ volun-  
tas permanet moraliter, quamdiu non retra-  
ctatur, vel interrumpitur; sicut qui alium in-  
justè conjicit in carcerem, & ibi relinquit, con-  
tinuè peccat, quia continuè lædit jus proximi.

Igitur qui non restituit, cum potest, peccat  
actu singulis momentis, non quidem singulis  
novum peccatum addendo, sed prius actu  
continuando. Quod quò plus durat, eò fit  
gravius ratione majoris liberæ durationis, vel  
etiam majoris nocuenti, quod inde Domi-  
nò evenit, nisi tale peccatum detentionis in-  
terrumpatur, & multiplicetur.

*Resp. II.* Iniquus detentor rei alienæ, vel  
alteri debitæ, novum peccatum admittit, & sic  
multiplicat numero peccata injustæ detentio-  
nis 1. Quoties habet voluntatem expressam  
non restituendi; nam quilibet ejusmodi actus  
est peccatum; & nihil est exterius in quo illi  
actus uniantur, & continentur, ad faciendum  
unum moraliter actum. 2. Quoties inter-



rumpit illud peccatum actuale detentionis, & postea advertit, vel advertere potest, ac debet ad obligationem restituendi, & tamen non restituit, cum potest: quia toties omissio restitutionis est ei saltem interpretativè voluntaria, & nova culpa. Interrumpitur autem moraliter per contritionem, vel propositum restituendi, per impotentiam restituendi, per somnum, vel longam distractionem, aut occupationem circa alias res: nam tunc volitio non restituendi non durat virtualiter eadem numero. Ex dictis sequitur iniquum detentorem teneri explicare in confessione **1.** Totum tempus, quo suâ culpâ non restituit, vel non solvit, ut intelligatur gravitas peccati, & quantum fieri potest multitudo actuum interiorum, vel continuatio æquivalens multis actibus internis. **2.** Numerum volitionum non restituendi, seu quoties admisit novum peccatum detentionis; nam tot sunt peccata numero distincta. **3.** Quoties interim occasionem restituendi habuerit, & neglexerit, ut intelligatur multitudo actuum, seu omissionum exteriorum. **4.** An Dominus ex illa detentione tristitiam magnam, vel grave damnum passus sit, ut intelligatur tota malitia detentionum.

*Sed quid si detentor utatur re aliena?*

*Resp. 1.* Si Domino perinde sit, ut aris hereditariâ suâ, an eam apud te detineas otiosam, non magis peccas utendo, quàm retinendo solùm; quòd

quòd si Dominus longè ferret ægrius usum, quàm otiosam detentionem, eo quòd res usu atteratur, vel periculo exponatur, tunc gravius peccas usu ejus rei, quàm nuda detentione: nam plus est cæteris paribus uti re aliena, quàm eam nude detinere invito Domino, ac proinde major est injuria. 2. Si res apud te facta sit deterior, ita ut prudenter judices, Dominum eam non amplius velle, sed potius pretium ejus; non peccas eâ utendo, aut eam destruendo, quia hoc non facis invito Domino. Peccas tamen, ejus pretium non restituendo, cum primùm potes.

## CAPUT III.

*De Radice obligationis restituendi.*

**Q. I.** Unde oritur obligatio restituendi?  
*Resp.* Ex quatuor Capitibus scilicet I. Ex injusta acceptione, qua intelligitur injusta, & culpabilis rei alienæ ablatio, retentio, vel damnificatio, ex cap. ult. de Injur. ibi: *si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet.* Nam jus per injuriam auferri nequit: ergo in eo, cujus res ablata, vel destructa est, semper manet jus ad illam habendam, vel ejus pretium, quod est res æquivalenter: ac proinde manet in altero obligatio restituendi.

restituendi. 2. Ex re accepta, id est, ex re aliena in se, vel in æquivalenti existente apud alium sine hujus culpa; nam *locupletari non debet aliquis cum alterius injuriâ, vel jacturâ*, reg. Jur. 48. in 6. Deinde dum res est aliena, eo ipso subest juri alterius, qui inde minus habet, dum eâ caret, quàm habere deberet. 3. Ex contractu explicito, vel implicito, seu quasi contractu in assumptione Officii, seu muneris, nam quidquid fit contra pactum, vel Officiuni ad aliorum commodum spectans, est contra iustitiam commutativam, ideóque obligat ad restitutionem. Ex lege positiva, & iuxta sententia. De his duobus ultimis alibi dictum est.

*Q. 2. An oritur obligatio restituendi ex damnificatione nullatenus peccaminosa, v. g. ob inconsiderationem, distractionem mentis, oblivionem prorsus involuntariam?*

*Resp.* Non oritur extra contractum, & officium. Quia 1. *Rem, quæ culpa caret in damnum vocari non convenit.* Cap. 2. de Constit. 2. Qui damnum sine ullo peccato extra contractum, & officium intulit, ex nullo capite tenetur restituere: non ratione injuriæ, cum non peccaverit; neque ratione rei acceptæ, aut contractûs, vel legis, cum nihil horum exstet. 3. In hoc casu damnum non illatum fuit damnificato rationabiliter invito: nemo enim potest velle rationabiliter, ut quis sibi non inferat damnum etiam tum, cum de eo

infe-

inferendo non cogitat, & involuntariè, ac necessariò infert; nam non potest rationabiliter velle id, quod tunc impossibile est. Præterea qui damnum sine ullo peccato extra contractum & officium intulit, se habet instar possessoris bonæ fidei, qui non tenetur restituere rem alienam, quam bona fide consumpsit, si ex ea non sit factus ditior.

Dixi, *extra contractum*, quia leges imponunt contrahentibus onus restituendi damnum secutum ex culpa merè juridica; & contrahens hoc ipso quod contrahit, illud onus tacitè in se suscipit, cum velit, & debeat contrahere secundum leges. Quare, quamvis damnum non sit illatum Domino rationabiliter invito, tunc tamen indemnitas ei debetur ex pacto, seu contractu explicito vel implicito: sicut debetur cum res perit casu fortuito, si præcesserit pactum eum præstandi.

*Q. 3. An oritur obligatio restituendi ex damnificatione veniali?*

*Resp. I.* Ex damnificatione, & furto veniali ob parvitatem materiæ oritur obligatio restituendi sub veniali: quia non restituendo injustè privatur Dominus possessione, & usu rei suæ, vel sibi debitæ, sufficientis ad materiam injustitiæ venialis, quæ tolli debet.

*Resp. II.* Ex damnificatione gravi quoad materiam, sed veniali ob defectum advertentiæ, oritur obligatio restituendi: quia tunc

committitur vera culpa, & injuria, licet levis: at omnis injuria ex natura rei, ideoque jure naturali, refarciri debet, ex cap. ult. de injur. cit. Non videtur tamen esse obligatio restituendi totum damnum citra contractum, aut officium: quia injuria venialis, ac imperfecta non debet, citra contractum, aut quasi-contractum, tantam obligationem parere, quantam injuria gravis, & perfecte voluntaria. Deinde cum ea restitutio sit poena seu onus jure naturali culpae correspondens, debet esse culpae proportionatum. Sunt tamen qui docent, tantum posse esse damnum, ut pars illius correspondens culpae veniali, sit adhuc gravis momenti, ideoque sub mortali restitui debeat, quia alioqui retineretur res notabilis debita, invito Domino, quod est mortale. Caeterum in praxi quando damnum grave est, censeri ordinariè debet intervenisse culpam mortalem: nam (ut notat *Lessius*) generaliter in operibus externis periculosis, citra subitaneam passionem vehementem, raro contingit advertentia imperfecta: scilicet opera illa periculum suum statim, & facile ingerunt, mentemque ad sui considerationem excitant. Quare in dubio an culpa sit mortalis, an venialis, totum damnum refarciri debet, praesertim cum in dubio potior sit conditio innocentis.

Q. 4. *An oritur obligatio restituendi ex damno dato per culpam juridicam in officio, vel extra illud, commissam?*

*Not.* Culpa duplex distinguitur, Theologica, & juridica seu civilis. Culpa Theologica est peccatum imputabile, sive mortale, sive veniale: culpa juridica est omissio diligentiae debitae ad cognoscendum, vel cavendum, vel faciendum, vel providendum, ex qua sequitur damnum, sive illa omissio sit peccatum, sive non, de hac sola hic agitur; & triplex est, lata, levis, & levissima. Culpa lata est omissio diligentiae, quam passim in rebus ejusmodi propriis adhibere solent homines diligentes ejusdem conditionis. Levis, est omissio diligentiae, quam adhibere solent diligentiores, & prudentiores ejusdem conditionis. Levissima, est omissio diligentiae, quam soli diligentissimi, & prudentissimi adhibent: ut si quis, v. g. librum sibi commodatum relinquat ante ostium domus, & amittatur, tunc censetur amisisse per culpam latam: si reliquit in cubiculo suo, non obserato ostio, erit culpa levis: si ostium obseravit, sed non advertit an esset bene obseratum, est levissima.

*Resp. I.* Ex communi sent. extra officium, & contractum non oritur obligatio restituendi damni secuti ex culpa levi, & levissima: quia citra contractum, & officium nemo tenetur majorem diligentiam adhibere in suis operibus ne alteri noceat, quam in similibus casibus

adhibere solent homines ejusdem conditionis diligentes, ac prudentes: nemo enim tenetur esse diligentior, ac prudentior cæteris hominibus diligentibus, & prudentibus ejusdem conditionis, nisi ad id specialiter se obligarit: constat tamen, inquit *Lessius*, esse obligationem restituendi damnum secutum ex culpa lata, nisi constet illam esse prorsus inculpabilem: quia quisque ex justitia tenetur, ne alteri noceat, adhibere in actionibus suis eam diligentiam, quam adhibere solent in ejusmodi actionibus homines ejus conditionis diligentes, ac prudentes; nam quisque jus habet ne sine justa causa, & autoritate sibi inferatur damnum: ergo si non adhibet, non facit id, ad quod tenetur ex Justitia, & sic damnum inde secutum censetur ei voluntarium, & merito imputatur, ac proinde illud tenetur refarcire.

*Resp. II.* Per se loquendo nemo tenetur in conscientia ad restitutionem propter culpam levem, vel levissimam in officio, vel arte commissam, sed tantum propter latam: *Est communis, aut ferè communis*: quia nemo tenetur in officio, vel professione sua adhibere maiorem diligentiam, & providentiam, quam soleant adhibere diligentes, & prudentes ejusdem professionis: nam nec gravius onus quis vult sibi imponere, dum officium suscipit, vel artem exercet, nec *Resp.* plus ab ipso exigit.

Hinc Advocatus, v. g. qui bona fide præstitit id quod diligentes, & periti Advocati in similibus

milibus

milibus causis præstare solent, non tenetur ad restitutionem, si causâ cadat, eò quòd non præstiterit id, quod diligentissimus præstitisset. Idem dic de Judice, Magistratu, Medico, Architecto, &c.

Dixi, *per se loquendo*, nam si quis profiteatur se diligentior, & peritior aliis, aut diligentissimum, & sic eos qui tales quærunt, ad se pertrahat; istenetur adhibere maiorem, aut etiam maximam diligentiam, & prudentiam: quia id promisit, & ad id se obligavit saltem implicite: unde tenetur resarcire totum damnum ex levi, vel etiam ex levissimâ culpâ secutum, cum non adhibendo maiorem, vel maximam diligentiam peccaverit graviter in re gravi contra pactum saltem implicitum, ideòque gravem iniuriam fecerit.

Porro culpa, quæ dicitur lata in iis, qui officium vel artem exercent, censetur levis in aliis privatis: unde illi dici possunt teneri de culpâ levi comparatè ad alios, qui non tenentur ex officio vel pacto, cum debeant maiorem diligentiam adhibere, quàm si nihil commodi perciperent, vel non ex officio facerent.

*Resp. III.* Qui præbet consilium in rebus ad suum officium, vel artem pertinentibus, tenetur ad restitutionem ratione culpæ latæ: quia ex officio tenetur in consilio dando adhibere eam diligentiam, & prudentiam, quam adhibere solent in similibus casibus homines diligentes eiusdem professionis: ergo si non ad-

G 1

hibet,



hibet, peccat contra iustitiam; ideóque tenetur ad restitutionem damni ex hac culpa secuti: item tenetur ratione ignorantiae, quia talis ex officio tenebatur hoc scire, & in responso vitare errorem ex quo damnum secutum est: unde meritò censetur causa iniusta damni secuti. Et utrúque patet, ex cap. ult. de injur.

Non tenetur tamen ad restitutionem, qui consultus aperit bonâ fide duntaxat opinionem suam, dicendo ita sibi videri, nec suadendo, ut alter faciat; & à fortiori, si indicet se dubitare: nam tunc, si alter sequatur, suae imprudentiae damnum adscribere debet, modò consultus non habeatur à consulente, peritior, ac prudentior, quàm revera sit. Imò si des consilium in rebus, quæ ad tuum officium non spectant, & quarum parùm peritus es, & alter sciens tuam imperitiam, consilium tuum sequatur, non teneris de damno inde secuto: nam damnum illud sibi imputare debet, & scienti, ac volenti non fit iniuria. Si tamen agitur de damno tertii, ut si suadeas alteri contractum iniustum, velut non restituat, peccas graviter in re gravi, & teneris illi tertio: nam illi tertio, & quidem invito damnum inferis tuo malo consilio. Nec obstat, quòd veritatem inculpatè ignorares; quia nihilominus imprudenter agis: nemo enim nisi imprudenter miscet se consiliis dandis in rebus, quas non intelligit, & sciens, ac volens exponit se periculo

riculo errandi cum damno tertii, quod proinde ei sufficienter est voluntarium, meritoque imputatur. Ita ferè *Lessius*.

Porro hæc Regula juris 62. in 6. *Nullus ex consilio dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*, intelligitur solum de eo, qui bona fide dat consilium in rebus ad suum officium non pertinentibus, & qui ratione sui muneris, aut statûs peritiam non profitetur, vel nomine fraudis intelligitur culpa lata, quæ ei æquiparatur in Jure.

*Q. 5. Ex qua culpa juridica in contractibus oritur obligatio restituendi?*

*Resp. I.* Si contractus cedat in utilitatem solius accipientis, ut in commodato, accipiens tenetur ad restitutionem, si res aliena pereat, vel deterior fiat ex culpa etiam levi, & levissima. At non tenetur, si fecit id, quod diligentissimi, ac prudentissimi in simili re propria conservanda facere solent. Constat, ex l. 18. ff. Commod. & ex Instit. lib. 3. tit. 15. & ex cap. 1. de Commod. Ratio dispositionis Juris est, quia æquitas naturalis postulat, ut is, qui gratis utitur re alterius in suam tantum utilitatem, maximam diligentiam adhibeat, ne pereat, vel deterior fiat. Excipitur precarium, in quo accipiens tenetur solum ex dolo, vel culpa lata, l. 8. ff. de Precario. eò quòd res concessa precario potest à Domino quovis tempore revocari, non autem res commoda: quare

quare æquum est, ut qui accepit precarium, non teneatur de tanta culpa.

*Resp. II.* Si contractus sit utilis utrique contrahenti, ut contractus pignoris locati, & conducti, uterque teneatur ad restitutionem damni secuti ex culpa lata, & levi, non autem levissima; ex l. 5. ff. *Commod.* & l. 23. ff. de *Reg. Jur.* Ratio est, quia cum res aliena alicui conceditur in ejus utilitatem, æquitas postulat, ut eam valdè diligenter custodiat; non tamen ad tantam diligentiam teneatur, quantam si in sui tantum utilitatem accepisset. Quare ad nihil tenetur, si fecerit, quod diligentiores faciunt in simili re propria conservanda. Hinc artifices, qui laborant in re aliena ob stipendium, & domestici, quibus incumbit ex officio cura custodiendæ rei domesticæ, tenentur refarcire damnum ex culpa etiam levi secutum. Qui tamen conductus est ad transportandum columnam, vel alias res fragiles, tenetur de culpa levissima respectu aliarum rerum. L. 25. ff. *Locat.* Quia nempe talis negligentia in ejusmodi rebus non censetur levissima, sed major propter summam diligentiam, quam illæ res ex natura sua exigebant. *De Lugo, & alii.*

*Resp. III.* Si contractus cedat in utilitatem solius dantis, ut in deposito, accipiens tenetur solum ad restitutionem ex culpa lata, & dolo, ex l. 5. ff. *Commod.* & l. 23. ff. de *Regul. & Instit.* lib. 3. tit. 15. Nam æquitas postulat, ut, qui

qui habet rem alienam in commodum solius Domini, non teneatur ad majorem diligentiam, & custodiam, quam passim adhibere solent in rebus suis homines, cum nullum commodum inde percipiat. Hinc si depositum pereat apud te sine tua culpa lata, non teneris illud restituere, nisi in his casibus. 1. Si adsit pactum de majori, vel maximâ custodiâ adhibendâ, vel etiam de casu fortuito præstando, ex l. 1. ff. *Deposit.* *Contractus enim legem ex conventionione accipiunt.* Ibid. 2. Si in culpa fuisti tecum deferendo depositum in locum periculosum, vel fuisti in mora non reddendo, cum potuisti, & debuisti, teneris ad restitutionem quantamcumque custodiam adhibueris, ex variis juribus, & cap. ult. *de Depos.* ibi: *Pacto, culpa, vel morâ precedentibus, casus etiam fortuitus imputatur.* 3. Si accepisti mercedem pro deposito custodiendo, ex eodem cap. Tunc enim teneris de culpa levi: quia contractus depositi cedit in tuam, & Domini utilitatem, transitque in locationem operæ ad illud custodiendum. 4. Si te ipsum ad depositi custodiam offeras petenti diligentissimum custodem, tunc teneris de culpa levissima, l. 1. ff. *Depos.* quia tunc censeris custodiam diligentissimam promittere.

*Dices, in prædictis legibus depositarius dicitur obligari solum ex dolo, non ex culpa.*

*Resp.* In Jure lata culpa dolo æquiparatur l. 32. ff.

32. ff. *Depos.* & l. 226. ff. *De Verb. obligat.* ibi: *Magna negligentia culpa est magna, culpa dolus est.* Quare cum leges decernunt, dolum solum præstandum esse, non culpam; culpæ nomine levis, & levissima intelligitur, & sub nomine doli comprehenditur culpa lata. Cum autem statuunt in contractibus culpam esse præstandam, per culpam intelligitur, aliquando levis, aliquando levissima.

*Resp. IV.* Est obligatio in conscientia, refarciendi secundum has leges ante sententiam iudicis, damnum secutum sine peccato, sed ex culpa merè juridica in contractibus. Ita *Covar. Navar. Molin. Vasquez, Lessius* dicens esse communioem, & alii. *Prob.* Quia, qui ex contractu rem alterius accipit, obligat se saltem implicite ad eam servandam cum onere per leges annexo, & ad præstandam curam, ac diligentiam, quam leges præscribunt, cum præsertim hæ leges fundentur in naturali æquitate, & sancitæ sint propter bonum commune, ut contractus facile ineantur, & ad excitandam curam, ac diligentiam circa res alienas. Neque enim fundantur in præsumptione culpæ mortalis; nam, v. g. in culpa levissima non potest forum externum præsumere peccatum mortale, ut notat *Vasquez*, & tamen: cap. unico de *Commod.* dicitur simpliciter: *cum gratia sui quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur.* Unde tunc est obligatio restituendi ex contractu, cui leges iustæ  
eam

eam annexuerunt, & quam contrahens hoc ipso, quòd contrahit, tacitè in se suscipit, cum velit, & debeat contrahere secundum leges.

*Q. 6. An qui inculpabiliter dixit, vel fecit aliquid, ad quod jus nullum habet, & ex quo impendet damnum proximo, tenetur ex justitia illud impedire, vel restituere, si non impediatur quantum commodè potest?*

*Resp. Aff. Est communis.* Quia quisque tenetur ex justitia curare ne ex sua actione veniat damnum proximo contra Jus illius, ideòque impedire, ne malum ex sua actione secutum perseveret: alioqui, qui non impedit, quantum commodè potest, censetur causa moralis perseverantiæ effectus à se positi, & damni secuti, quod proinde ei imputabitur; nam quisque Jus habet, ne ei damnum sine justa causa, & auctoritate inferatur.

Hinc qui inculpate errorem docuit, vel consilium noxium dedit, tenetur, ubi advertit, dedocere; qui inculpate res alienas incendit, tenetur, quantum commodè potest, ignem extinguere, alioqui continuatio incendii foret ei voluntaria, & moraliter imputabilis. Si tamen non posset impedire alterius damnum sine graviore, aut saltem æquali suo damno, non poterit illi imputari, sed censetur justè permitti: nam multò minor est obligatio tunc impediendi, quàm non inferendi positive damnum; cum ipsa non oriatur ex  
injusta

injusta læsione, vel actione: ideoque non est obligatio impediendi damni, nisi cum potest impediiri sine gravi, aut saltem æquali suo damno: Cujus quidem damni proprii gravitas debet spectari respectivè ad damnum, quod inde proximo sequetur.

Q. 7. *Quid restitui debet ratione injustæ acceptionis, vel damnificationis?*

Resp. Qui injuriam alteri intulit, rem ejus culpabiliter accipiendo, aut detinendo, aut damnum inferendo, &c. tenetur in conscientia restituere rem, si adhuc exstet, vel ejus pretium si ipsa non exstet, item omnes fructus naturales, ac mixtos, sive perceptos, sive non perceptos, sed quos Dominus percepturus erat, & compensare omne damnum emergens, ac lucrum cessans. *Est communis.* Quia ratione injuriæ contrahitur obligatio injuriatum omninò indemnem reddendi, & restituendi in eum statum, in quo fuisset, si injuria illata non fuisset: alioqui injuria inegrè non tolleretur, nec æqualitas, quam Justitia intendit, reponeretur, & sic non cessaret totaliter injustitia. Quare mensura restitutionis faciendæ ratione injustæ acceptionis, vel damnificationis, est quantitas boni alieni ablati, & damni illati ac lucri impediti, quamvis lædens nihil inde emolumenti perceperit, ex C. *Gravis de Restit. Spoliat.* ubi Cælestinus III. ait: *Mandamus ablata cum integritate restituere, damna plenarie*

variè resarcire, & de illatis injuriis competenter satisfacere compellatis: provisuri, ut non tantum fructus à novo, & violento possessore perceptos, sed quos possessores veteres percepissent, reddi faciatis eisdem.

Igitur fur, vel malæ fidei possessor, vel damnificator injustus tenetur. 1. Rem alienam injustè possessam restituere Domino: nam quamdiu retinet, facit ei injuriam violando Jus, quod habet rem suam possidendi, & eam utendi. Quòd si res aliena non exstat, tenetur ejus pretium restituere, cum sit causa injusta damni, quod patitur Dominus privatione rei suæ, quam tenebatur restituere. 2. Compensare omne damnum emergens, & lucrum inde cessans Domino, l. 5. Cod. de rebus vindic. Nam est causa injusta utriusque, tenenturque Dominum indemnem servare, ut tollatur injuria illata. Porro lucrum justum alterius impedire est illi damnum inferre: nam est eum privare lucro sperato, ad quod Jus habet, & facere, ut minus habeat, quam habuisset. 3. Restituere omnes fructus naturales, & mixtos, quos percepit, quamvis Dominus non percepisset, nec illi existent amplius, nec ex illis factus sit ditior, ex l. 22. Cod. de rebus vindic. Quia fructus rei hoc ipso, quòd producuntur, fiunt illius, qui est Dominus rei; & res quælibet Domino suo fructificat, ex Institut. de rerum divis. nam res ubicumque est semper Domini est, & Domino valet, quod



ibi valet: ergo fructus æquè restitui debent, ac res ipsa; & tunc est etiam obligatio restituendi ex re accepta: quòd si illi fructus interea, dum retinentur, pereant, pereunt non Domino, sed injusto detentori, qui est in mora culpabili. Item tenetur restituere fructus omnes naturales, & mixtos, imò, & merè industriales, quos Dominus singulari suâ diligentia licitè percepisset, quamvis ipse damnificator nullos perceperit; ex l. 33. ff. de rei vindic. ibi: *Fructus non modò percepti, sed & qui percipi potuerunt honeste, æstimandi sunt.* Et ex cap. *Gravis* cit. nam debet compensari omne damnum emergens & lucrum cessans.

*Not. I.* Fructus merè naturales sunt illi, qui ex re aliqua gignuntur sine ulla ferè industria, aut labore, ut herbæ in pratis, arborum poma, animalium foetus. Merè industriales sunt ii, ex sola industria, & labore proveniunt, licèt mediante aliqua re tanquam mero instrumento; ùt quæstus, qui ex negotiatione, vel ex usu artificioso alicujus instrumenti, puta penicilli, percipitur. Fructus mixti sunt ii, qui ab ipsa re, mediante industria, & labore, proveniunt, ùt fructus agrorum, vinearum; ad quos revocatur pretium locationis ædium, earumque rerum quæ habent usum locabilem: nam pretium locationis est fructus earum, quem pariunt mediante usu sui, qui est pretio æstimabilis; & datur solùm pro usu rei, ex l. 19. & 36. ff. de Usuris. Hi fructus vocantur

tur civiles, & debentur Domino rei, l. 5. Cod. de rei vindic. ibi: *Domum, quam ex matris successione ad te pertinere, & ab adversa parte injuria occupatam esse ostendis, Præses Provinciae cum pensionibus, quas percepit aut percipere poterat, & omni causâ damni dati, restitui jubebit. Soli autem fructus merè industriales, quos Dominus rei non percepisset, non sunt restituendi: quia non sunt fructus rei alienæ, sed industriæ propriæ. Sic qui pecuniâ furtivâ negotiatus est, non tenetur lucrum suum restituere, sed solum pecuniam ablatam, & omne damnum emergens, ac lucrum cessans, si quod est.*

*Not. 2. Semina, & alia similia, si sint aliena, non fructificant Domino suo, sed Domino agri, l. 25. ff. de Usur. ibi: Omnis fructus non jure seminis, sed jure soli percipitur. Quia sunt magis agri, quam seminis, quod mortuum est, & ab agro vivificari, & ali debet. Hinc qui triticum furtivum seminavit in agro suo non tenetur restituere segetes, sed aliud triticum in eadem mensura cum damno emergente, & lucro cessante, si quod est secutum Domino tritici.*

*Not. 3. Restitutio fructuum facienda intelligi debet deductis pretio operæ, ac laboris, & impensis, quæ à Domino fieri debuissent ad illos percipiendos, ad conservationem rei, & ad ejus melioramenta, quibus rei valor crevit Domino, ex l. 7. ff. Solutio matrim. Quia his*

H 2                      dedu-

deductis Dominus non patitur damnum, & reponitur æqualiras.

*Q. 8. An injustus damnificator tenetur insuper aliquid solvere pro culpa in penam?*

*Resp.* Non tenetur ante sententiam judicis: quia punitio ad judicem pertinet; sed post sententiam tenetur pœnam solvere, quia Judex habet Jus eam infligendi, & justa sententia obligat in conscientia. Ita S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 3.

*Q. 9. An fur, vel injustus possessor, aut damnificator tenetur restituere rem alienam, si peritura fuisset apud Dominum?*

*Not.* Possessor malæ Fidei est is, qui rem alienam injustè accepit, vel retinet, aut consumpsit, vel alienavit, putans, aut dubitans esse alienam, vel se non legitimè possidere; vel ex ignorantia graviter culpabili judicans esse suam. Possessor bonæ Fidei est, qui rem alienam detinet, judicans prudenter esse suam. Unde bona fides nunquam potest oriri ex ignorantia, quæ non excusat à culpa mortali in acceptione rei & omissione inquirendi, cujus res sit: nam tunc non potest prudenter censerì justa possessio.

*Resp. I.* Injustus possessor tenetur rem alienam restituere, si illa non erat peritura apud Dominum, nisi per injuriam alterius, v. g. furtum. *Est Commun.* quia sicut ille alius facien-  
do

do injuriam, teneretur restituere, ita ut præveniens teneris integrè damnum resarcire, cum fueris causa injusta totius damni.

*Resp. II.* Si res perit dolo, vel injuriâ injusti possessoris, quia vel amisit culpâ latâ, vel eam scienter destruxit, absumpsit, alienavit, &c. teneretur ejus pretium restituere Domino, etiam si apud hunc casu peritura fuisset. *Est communis, teste Layman.* quia talis est hic & nunc causa injusta interitûs rei, quæ verè perit per injuriam detentoris, ac proindè ratione injustæ læsionis statim contrahit restituendi obligationem, quæ subsequente fortuito casu non extinguitur. Sic qui occidit hodie Petrum, alioqui cras interficiendum à ferâ, est causa injusta mortis Petri, & teneretur ad restitutionem. Idque magis adhuc constat, si tempore quo ex culpa perit vel destructa est res aliena, non erat notitia interitûs vel periculi futuri: quia cum periculum illud ignoraretur, res illa verè tantum valebat apud homines, sicut si peritura postea non fuisset. Totus ergò valor ille fuit per injuriam ablati, & totius illius debiti reus factus est, atque adeò suscepit jam in se onus & obligationem totius illius debiti solvendi. A quo debito non liberatur ex eo, quòd eventus subsequens ostendat rem fuisse postea perituram, vel minùs valituram: quia hoc non facit rem minùs valuisse tum, cum injustè destructa est, pro quo tempore taxari debet valor damni illati. *Ita de Lugo.*

H 3

*Resp.*

*Resp. III.* Item tenetur restituere rem alienam quæ casu apud ipsum perit, si non sit omnino certum casu perituram fuisse apud Dominum: quia in dubio melior est conditio innocentis, & Domini possidentis jus certum recipiendi rem suam vel ejus pretium.

Imò juxta multos tenetur, etiam si res certò fuisset peritura apud Dominum casu, vel juxta hostium spolatione: quia 1. hoc ipso, quòd quis rem alienam injustè aufert, vel detinet, facit Domino injuriam, cui est per se annexa obligatio restituendi; per accidens autem est, quòd esset casu similiter apud Dominum peritura. 2. Qui injustè accipit, injustè detinere incipit: sed qui injustè detinet, semper est in mora restituendi: qui autem est in mora, tenetur etiam de casu fortuito, nam mora trahit ad se periculum rei, ut statuunt jura. 3. Casus subsequens non facit, ut fur, vel injustus possessor damnum reipsa non intulerit, sed solum facit, quòd imputatum fuisset alteri causa. Item qui semel ratione rei injustè accepta obligatur, per eventum fortuitum postea subsequentem non absolvitur.

Alii tamen hoc negant, quia nullum damnum ex injuria est illatum Domino, cum constet eum ex casu fortuito non minus privandum fuisse re sua, quàm si nulla fuisset injuria illata, ideòque nihil minus habeat, quàm aliàs fuisset habiturus: ex injuria autem oritur obligatio restituendi solum damnum ex ea  
secu-

secutum, non aliud 2. L. 14. ff. *Depos.* Statuitur enim, qui renuit depositum reddere, non teneri pretium restituere, si res deposita interea naturali interitu pereat, licet tamen casus fortuitus moræ culpabili imputetur: & L. ult. ff. *ad Legem Rhod.* Statuitur, quod si navem conduxerim ad merces meas convehendas, ipse verò nauta me invito & mala fide merces meas in navem deteriore[m] transtulerit, cum qua merces meæ perierint, teneatur mihi de hoc damno, si altera navis salva evaserit; sed non teneatur si ambæ naves eâ navigatione perierint, quia æquè merces meæ in priori navi conductâ periissent. Hoc autem discrimen inter hunc casum, & præcedentem affert Layman, quod in primo, non in secundo injustus possessor sit causa interitus rei.

*Sed si rem alienam quæ incendio, vel aliter peritura erat apud Dominum auferam, & post elapsum periculum non statim restituam, & postea apud me pereat, non jam peritura apud Dominum, an teneor ejus pretium restituere?*

*Resp. Aff. Ita omnes.* Quia res illa à periculo libera, & secuta ad Dominum pertinebat, & sic ei statim tunc reddi debuit: quare si non fuit reddita, injuria ipsi facta fuit per injustam detentionem, quæ fuit causa damni, nam apud Dominum non amplius periisset.

*Q. 10. An ratione injuriæ restitutio facienda est juxta summam estimationem, quam res à tempore detentionis habuit?*

H 4

*Resp.*

*Resp. I.* Si res aliena apud furem, vel iniustum possessorem facta est deterior, quam cum accepta est, tenetur restituere secundum statum illum, quem res tunc habebat. Nam tempore, quo accepit, res illa tantumdem valebat, & accipiendo damnum iniustum Domino intulit, privando eum re sua in tali statu, & facultate eam majore pretio vendendi.

*Resp. II.* Si res apud iniustum possessorem melior effecta est sive intrinsecè, & in substantia, ut si vitulus evaserit in bovem, sive extrinsecè, & in valore, ut si auctum sit eius pretium ob emptorum multitudinem, restitui debet Domino in tali statu, si exstet. Nam res semper mansit in eius dominio: melioratio autem, & incrementum rei pertinet ad eius Dominum. Si autem res illa non exstet, & vendita fuerit maiore pretio, quam vendidisset Dominus, totum pretium acceptum restitui debet Domino; quia res tempore, quo carius vendita est, & melior erat, Domini erat, & Domino debebatur: ergo pretium acceptum ei debetur, cum sit valor suæ rei. Quod si res casu perit, vel minore pretio vendita fuit, aut in deteriore statu, & valore alienata vel consumpta, restitui debet Domino secundum æstimationem, quam in optimo statu, & maximo valore habuit, si Dominus eam tali tempore erat venditurus, vel passus est damnum emendo aliam summo valore: quia iniustus possessor fuit causa iniusta talis lucri cessantis, vel

vel damni. Idem dic, si incertum sit, an Dominus lucrum ex eius melioramento fecisset, vel quo pretio venditurus fuisset, ut docent passim Doctores: nam iniuste privatus fuit potestate lucrandi, & vendendi summo valore, qua forte usus fuisset: at in dubio melior est conditio innocentis, & possidentis Jus exigendi integram indemnitatem.

Imò juxta varios, restitutio fieri debet secundum summum valorem & incrementum, etiamsi Dominus re sua certo usurus non erat in tali statu, nec juxta summum valorem venditurus: quia dum res apud iniustum possessorem melior & carior facta est, Domino meliorata fuit, ipsique debita erat in tali statu: ergo facta est Domino iniuria cum damno, eum privando re sua in optimo eius statu, & valore: quæ iniusta detentio est nova iniuria à prima acceptione distincta, per quam statim contracta est obligatio eam restituendi cum tali incremento, & valore. Obligatio autem ex iniuria contracta extinguitur per solam restitutionem, & licet nullum damnum Dominus recipiat spectato statu, in quo futurus esset, si ad tempus minoris valoris rem servaturus esset; tamen recipit damnum, attento priori statu, in quo habuit dominium rei plus valentis, quo maiore valore ad se pertinente iniuste privatus fuit. Confirmatur L. 8. ff. de Condict. furt. ibi: *Si ex causa furtiva res condicatur, cujus temporis æstimatio fiat, queritur.*



*Placet tamen id tempus spectandum, quo res unquam plurimi fuit: maximè cum deteriore rem factam fur dando non liberatur; semper enim moram fur facere videtur.*

Sed hoc negant alii, quia restitutio fieri debet solum ad æqualitatem damni illati. At tunc non est illatum damnum secundum summum valorem rei, nam eius incrementum non erat certò profuturum Domino, cum Dominus non fuisset eam venditurus tempore illius incrementi, nec coactus fuerit eo tempore aliam emere.

*Q. II. An qui ponit actionem, ex qua damnum obvenit alteri, tenetur illud restituere?*

*Resp. I.* Si damnum venit tertio ex actione tua mala, vel otiosa, quæ fuerit periculosa, sive per se, sive ratione circumstantiarum, teneris illud resarcire, quamvis aliunde adhibueris diligentiam ne eveniret, & illud non intenderis. Quia 1. illud damnum est tibi sufficienter voluntarium in causa, nempe in actione tua mala periculosa, per quam illud creas. 2. Intulisti injuriam damnosam illi tertio, quippe qui jus habebat, ne malam illam actionem sibi periculosam faceres.

Secus est, si damnum veniret alteri ex tua actione non mala, licet periculosa, sed utili tibi cujus faciendæ jus habebas; modò adhibueris debitam ad illud impediendum diligentiam, quæ adhiberi potuit, retenta illa actione  
licita

licita tunc enim damnum illud tibi non impu-  
taretur, cum utaris jure tuo, ex c. 31. de Elect.  
*Non videtur injuriam facere, qui utitur jure suo.*  
Et ex l. 193. ff. de Regul. Jur. *Nemo damnus  
facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet.*  
Sed si non adhibueris debitam cautionem, ne  
aliis damnum eveniret, tenêris de damno;  
nam quisque tenetur ex justitia curare, ne ex  
sua actione damnum veniat alteri; nam pro-  
ximus habet jus, ne ei damnum inferatur sine  
justa causa, & legitima auctoritate, Item te-  
nêris, si jus non habeas faciendi aliquid peri-  
culosum, licet non malum: sic qui in itinere fo-  
yeam, lupi capiendi causâ, facit, tenetur de  
damno, L. 28. ff. *Ad Leg. Aquil.*

*Resp. II.* Tenêris resarcire damnum, quod  
alteri venit ex tua culpa, scilicet actione mala,  
vel inutili, si damnum illud intendisti, licet ex  
ea plerumque damnum non veniat; nam tunc  
damnum tibi voluntarium est in se, & meritò  
censeris illius causa, cum re ipsa ex directa in-  
tentione illud intuleris per actionem tuam  
malam, vel inutilem.

*Resp. III.* Tenêris resarcire damnum, quod  
obvenit alteri ex actione tua mala, vel inutili,  
licet ex ea plerumque damnum tertio non  
eveniat, nec illud in eenderis, si prævideris pro-  
babiliter eventurum. S. Thom. q. 64. a. 8.  
Quia 1. tunc damnum illud est voluntarium  
tibi in actione illa mala tanquam in causa, vel  
saltem tanquam in occasione, quæ est æquiva-  
lenter

lenter causa. 2. Fecisti injuriam alteri, qui jus habebat, ne actionem illam malam faceres in talibus circumstantiis, nempe cum suo periculo, quamcumque aliunde diligentiam adhibueris S. Th. 2. 2. q. 64. a. 8.

*Resp. IV.* Non tenêris resarcire damnum, quod ex tua actione mala non periculosa obvenit, si illud non intenderis, nec potueris praevidere obventurum, eò quòd nunquam, aut ferè nunquam illud eveniat ex tali actione in talibus circumstantiis: quia tunc damnum illud nec in se, nec in alio tibi voluntarium est, cum nec illud intenderis, nec potueris praevidere; nec requiritur cautio, ubi non est periculum. Hinc qui alienam arborem ascendit ad fructus furandos, & casu cadens supra socium, eum præter intentionem occidit, non est reus homicidii, nec tenetur socio ad restitutionem: quia talis ascensus, licet illicitus, non erat sic periculosus: unde ille solum reus est furti. Quando autem S. Thom. loco cit. dicit, dantem operam rei illicitæ, ex qua mors alterius sequitur, esse reum homicidii, supponit illam rem esse aliquatenus periculosam, saltem ex circumstantiis.

*Q. 12. An in dubio de damno secuto ex actione mala per se damnificativa, est obligatio restituendi?*

*Resp. I.* Qui injustè posuit actionem ex se impeditivam lucri, vel damnificativam, tenetur

tur in dubio, an re ipsa alteri lucrum cessaverit, aut damnum secutum sit, restituere pro ratione dubii, seu quanti aestimatur certum subeundi damni periculum: quia talis fuit causa injusta periculi, quod alter subit patendi damnum; nec constat non passum fuisse: iniquumque est, ut innocens in tali dubio totum periculum certum subeat, & alter sit immunis omni obligatione.

A fortiori qui certus est de patrata à se actione injusta per se sufficiente ad damnum inferendum, & de damno secuto, sed dubitat an secutum sit ex illâ, tenetur restituere saltem pro ratione dubii, & aestimationis periculi. Dico saltem, nam juxta Lessium, & alios multos tenetur de toto damno: tum quia possessio est pro actione injusta, quod talem effectum procreârit, nisi oppositum constet: tum quia præsumptio juris valet, quamdiu de contraria veritate non constat: sed tunc est præsumptio juris damnum ex illa actione, v. g. consilio malo secutum esse. ex Reg. 45. Jur. III. 6. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Alii tamen non pauci docent, talem teneri solum ad partem damni pro quantitate dubii: quia non est æquum, tantum teneri restituere eum, qui solum ex probabili præsumptione, quantum qui ex certa scientia damnum intulit.

Idem dic de omissione injusta, hoc est, omissione rei ex justitia debitæ, dum dubitatur,  
an ex

an ex ea secutum sit damnum; nam in morali-  
libus omissio injusta est æquivalenter actio in-  
iusta.

*Q. 13. An qui solo exemplo movit efficaciter  
alium ad damnum inferendum, tenetur  
damnum ab hoc illatum resarcire in  
ejus defectum?*

*Resp. Aff.* Si hoc eventurum probabiliter  
præviderit. Quia 1. talis posuit actionem  
malam, & periculosam ratione circumstantia-  
rum, ex qua probabiliter prævidit damnum  
tertio secuturum: ergo fecit ei injuriam; nam  
quilibet habet jus, ne fiat actio mala cum pe-  
riculo damni sui. 2. Verè movit alium ad dam-  
num inferendum, & æquè est causa damni,  
quod ex motione exempli sequitur, ac si ex  
consilio sequeretur. 3. Qui occasionem dam-  
ni dat sine justa causa, damnum dedisse cense-  
tur, ex cap. ult. *De injur.* & l. 30. ff. ad Leg. Aquilæ;  
*Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur.*

*Q. 14. An quis tenetur restituere damnum  
irrogatum per suum mancipium, ani-  
mal, vel Filium?*

*Resp. I.* Ante omnem sententiam tenetur ra-  
tione culpæ, si negligens fuit in præcavendo,  
ex cap. 3. 4. & ult. *de injur.* nam tunc damnum  
illud ei voluntarium fuit in omissione diligen-  
tiæ debitæ; ideóque ei meritò imputatur.  
Hinc qui animal ferum non tenuit domi clau-  
sum.

lum, vel catenis ligatum, tenetur de damno ab eo illato. Ob eandem rationem, qui potestatem in alios habent, peccant contra justitiam, & tenentur ad restitutionem, si ubi est periculum damni, non provideant, ne fiat à suis. Nam Dominus, & Pater tenetur ex justitia impedire, ne aliis damnum inferatur à suis, vel per sua animalia.

*Resp. II.* Si damnum irrogatum sit sine culpa voluntaria Domini, hic tenetur dare pro noxa mancipium, vel animal, aut damnum compensare, ex jure civili. *Instit. digest. § cod. de Noxal. actionibus, & cap. ult. De injur.* Quæ leges non sunt pœnales, sed dispositivæ, & æquitati, ac naturali rationi valde consentaneæ: quia cum animal, vel servus non sint sui juris, sed totum, quod sunt, Domini sint, leges justè disposuerunt, ut sicut omnis utilitas ab eo proveniens Domini est, ita etiam, & damnum Domini sit, nisi velit ipsum pro eo tradere: nam qui sentit commodum, debet sentire, & onus, reg. 55. Jur. in 6. Quare hæ leges obligant ante sententiam, nisi ex consuetudine legitime præscripta, sententia requiratur: nam in foro conscientiæ idem dicendum est circa ista, quod æquus Judex cognita veritate judicaret. Ita Sanchez, & alii.

Item quando ex domo aliquid projicitur, vel effunditur, quod damnum intulit, si ante non fuit clamatum, caput familiæ in illâ domo habitantis tenetur ad solvendum duplum illius damni.

damni, quamvis sine eius culpa illati. L. 1. & l. 6. ff. *De his qui effuder.* .ibi. . *Habitator suam, suorúmque culpam prestare debet.* Sed iuxta multos, si Dominus verè peccato careat, nihil tenetur restituere ante sententiam: quia sic usu receptæ sunt illæ leges, nec id necessarium est ad finem illarum. At post sententiam tenetur in conscientia parère sententiæ iudicis, quia hæc non fundatur in præsumptione culpæ, sed in legibus, quæ ad bonum commune, & pacem publicam ita statuerunt, & ut Domini diligentius caverent, ne damnum aliis à suis inferatur.

*Resp. III.* Parens non tenetur ex delicto filii, vel damnum resarcire, vel filium noxæ dedere, si absque parentis culpa commissum est, ex *Instit. de Noxal. act.*

**Q. 15.** *An qui impedit alterum à consecutione alicujus boni, tenetur ad restitutionem?*

*Resp. I.* Qui quocumque modo etiam solis precibus, vel consilio, saltem absque causa iusta, impedit aliquem à consecutione boni ipsi ex Justitia debiti, sive habeat Jus in re, sive solum Jus ad rem, peccat contra Justitiam, & tenetur compensare totum damnum. *Ita omnes.* Quia illius fuit causa iniusta, violando ius, quod habet alter ad habendum illud bonum. Unde si alter habebat ius in re, impediens tenetur restituere valorem illius rei: si verò solum ius ad rem, v. g. per iustam promissionem

missionem acceptatam, electionem presentationem, &c. tenetur restituere quanti Jus illud Judicio prudenti aestimatur. Idem dic de impediendo alterum, ne utatur Jure suo, v. g. exercendi suam artem, operam locandi, petendi aliquid, &c. Nam quilibet habet Jus utendi Jure suo, quod Jus tunc violatur.

*Resp. II.* Qui vi, fraude, dolo, minis, detractione, calumniâ, mendacio, vel alio modo injusto impedit aliquem à consecutione Beneficii, vel Officii, quo dignus erat, vel alterius boni ex justitia non debiti, ut doni, legati, &c. tenetur restituere, quanti judicio prudenti ea spes ei valebat. *Est communis teste De Lugo, imò est omnium teste Sanchez.* Quia licet impeditus non habeat jus strictum ad tale bonum, jus tamen habet ne ab illius consecutione, per vim, fraudem, vel aliam quamvis viam illicitam impediatur, & ut perfectè liberum cuique sit ei gratificari. Ergo tali facta est injuria, quæ resarciri debet. Idque siue vis, vel fraus exerceatur circa eum, qui impeditus est à consecutione boni, ut si quis vi eum detineat, vel minetur ei ne petat, vel eum decipiat; siue circa collatorem, ut minando, ne conferat, vel falsò persuadendo alterum esse indignum.

Dixi, quanti spes, &c. Nam non tenetur ad æquale, quia gratiam illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Ait S. Th. q. 62. a. 2. ad 4. quòd, si nulla erat spes, non



tenetur restituere damnum, cum reipsa nullum intulerit. Si tamen exigua spes fuisset, compensanda est iudicio prudenti.

Qui autem à consecutione Beneficii Ecclesiastici, vel officii, aliquem indignum impedivit per vim, & fraudem, licet peccaverit, non tenetur damnum illud restituere, quia non fecit injuriam quoad illud, cum nullum ad illud habeat jus, etiam conditionatum, & in libera collatoris voluntate positum, nam illicitum est conferre Beneficia, vel officia indignis. Item qui à consecutione Beneficii, vel officii aliquem dignum, & spem habentem impedit, ut digniori conferatur, non facit injuriam impediendo, nec tenetur ad restitutionem: quia ille non habet jus etiam remotum, ut digniori præferatur. Si tamen impediatur calumnia, vel detractio, tenetur ad restitutionem famæ sicut in primo casu.

Idem dic, si dignum solis precibus, & commendatione impediatur, ut æquè digno conferatur: quia non habet jus, ut illi præferatur in bonis communibus, nec injusta via impeditur, & tibi licet petere pro æquè digno: secus, si injustâ viâ talem impediatur; nam tunc teneris illi restituere, quantum ea spes ei valebat; quia jus habet, ne injustè impediatur, ut Beneficium conferatur alteri non digniori.

*Resp. III.* Qui etsi sine vi, vel fraude, vel aliâ injustâ viâ impedit dignum à consecutione Beneficii, vel officii, ut detur indigno, tenetur ad  
restitu-

restitutionem Ecclesiæ, vel Reip. quæ inde  
 damnum injustè patitur. *Est communis.* Quia  
 utraque jus habet, ne damnum ei quovis mo-  
 do inferatur. Idem dic, si modo etsi non in-  
 justo impediatur digniorem, ut detur minùs di-  
 gno, quia Ecclesia, & Resp. habent jus haben-  
 di optimos Ministros, & Magistratus. Sed  
 juxta multos non tenetur restituere impedito;  
 quia non violavit justitiam commutativam er-  
 ga illum, quippe qui nullum jus talis justitiæ  
 habet ad Beneficium, vel officium: non enim  
 habet jus in re, nec jus ad rem, quo debitum  
 ei sit Beneficium, vel officium, & quo possit  
 illud jure exigere.

*Resp. IV.* Ex communi, qui sine vi, fraude,  
 vel aliâ viâ injustâ aliquem impedivit à conse-  
 cutione boni non debiti ex justitia, non tene-  
 tur ad restitutionem: quia non fecit injuriam  
 impedito, cum nullum jus habeat ad illud bo-  
 num, & liberum cuique relinquat gratificari  
 ei, si velit, & nullam viam injustam adhibeat.  
 Nec refert quod alter statuerat donare, quia  
 hic sine iniustitia semper potest propositum  
 mutare: ergo & ad id induci viâ non iniustâ:  
 Odium autem seu animus nocendi per me-  
 dium non iniustum, & in iis, in quibus potest  
 quis alioquin nocere absque iniustitia, non est  
 peccatum contra iustitiam, sed solum contra  
 charitatem.

Hinc non tenetur ad restitutionem, qui sine  
 vi, vel fraude, aut alia ratione iniusta, sed so-

lis precibus, vel obsequiis aliquem avertit ab instituyendo tali hærede, aut à relinquendo legato, vel donando aliquo bono; vel qui curavit revocari testamentum, & alium hæredem institui; quia nemo habet ius ad successionem; vel legatum, quàm diu testator vivit, cùm liberè prohibita imper possit revocare, & mutare testamentum. Tamen sine iusta causa aliquem à consecutione boni non debiti impedire viâ non iniustâ est contra charitatem, quâ debemus velle bonum proximo, & quæ vetat, ne alteri faciamus, quod nobis fieri nolumus.

*Sed quid si alterius procuratorem, vel tabellarium, litteras, aut mandata alterius deferentem ad impetrandum beneficium; vel ad aliquod negotium, detineam prætextu recreationis, vel potationis, sciens hanc detentionem nocituram mandatario?*

*Resp.* Peccas contra justitiam, & teneris ad restitutionem. Ita *De Lugo, & alii*: quia mandatarius habet ius, ut procurator, vel tabellarius, seu famulus, diligentiam adhibeat, & moram vitet, ad quod tenetur ex iustitiâ, & tu scienter impedis executionem, ac usum eius iuris, seu id, ad quod ille ius habet. Sed qui quovis modo, etsi de se licito scienter impedit usum iuris alterius, & id, ad quod ius habet, facit ei iniuriam, cùm violet eius ius, ideóque tenetur ad restitutionem damni inde secuti. Idem dic, si famulum alterius quovis modo deti-

detineas sciens hanc detentionem causam esse  
damni Domini, ad quod vitandum famulus  
ex iustitiâ tenetur: nam cooperaris injustitiâ  
alterius, & verè es causa moralis talis damni.

Q. 16. *An accepta ob opus malum restitui debent?*

Resp. I. Sic accepta ante opus malum patra-  
tum restitui debent. Ita omnes. Quia ista non  
dantur nisi ea lege, ut accipiens se obliget ad  
opus malum, ad quod impossibile est obligari,  
unde datio est nulla, & sic rei dominium non  
fuit translatum, ex c. ult. de pactis.

Resp. II. Crimine patrato pretium retineri  
potest, nisi per legem aliquam acquisitio sit  
irrita, vel accipiens fiat inhabilis ad acquiren-  
dum illius dominium. Ita S. Anton. Covar.  
Caiet. Less. De Lugo, &c. & alii multi. Quia  
1. accipiens non est inhabilis ad illud acqui-  
rendum, & pretium datum est omnino volun-  
tariè, non quidem ut pretium peccati, quod est  
tantum conditio, sine quâ non daretur, sed ut  
solutio promissi positâ conditione. 2. Mulier  
potest retinere id quod acquisivit per mere-  
triciam. ex L. 4. ff. de condict. ob turp. caus. &  
ex S. Thom. q. 62. a. 5. ad 2. & in 4. dist. 15.  
q. 2. a. 4. q. 2. si lex prohibuit actum, ex quo quis  
lucrat, sed non lucrum supposito actu; tunc  
quamvis acquirendo tali actu contra legem fece-  
rit; tamen tenendo contra legem non facit, &  
ideo hæc retineri possunt.

Ad leges in contrarium obijci solitas, dico

eas non reddere irritam acquisitionem rei ob  
 turpem causam datæ, nec facere accipientem  
 inhabilem ad acquirendum illius dominium;  
 sed solum decernere, ut ante opus patratum  
 habeantur pacta illa invalida, & ut ne patra-  
 to opere inde oriatur obligatio civilis, ob  
 quam scilicet posset in iudicio repeti promif-  
 sum: quod probatur, ex l. 2. *Cod. de condic-  
 ob turp. caus.* ubi res ob turpem causam accep-  
 ta ei, qui accepit, relinquitur, & ex l. 8. ff.  
*eod. tit.* ubi dicitur solutum ob turpem causam  
 non posse repeti. Dixi, nisi per legem, &c. Quia  
 quando lege aliquâ positivâ accipiens reddi-  
 tur inhabilis ad acquirendum Dominium, vel  
 annullatur actus, ex quo pendet acquisitio,  
 tunc res accepta restitui debet: nam per talem  
 legem translatio dominii impeditur, etiam in  
 conscientia, cum bona, & actus subditorum  
 subiiciantur voluntati iustæ Legislatoris in or-  
 dine ad bonum commune, quod semper per  
 legem justam intenditur: quod si is, qui de-  
 dit, fiat per legem incapax datum retinendi,  
 si restituatur, tunc restitutio fieri debet pau-  
 peribus, vel aliis piis operibus: secus, fieri  
 debet danti, quia cum translatio dominii rei  
 datæ nulla sit, res remanet prioris Domini,  
 qui illius dominio se non abdicavit, nisi ut in  
 recipientem transferret: equidem si eam rem  
 ob opus malum dederit, dignus est, ut eâ pri-  
 vetur, se hæc pœna infligi debet à iudice,  
 non à privato.

Resp.

*Resp. III.* Quoad praxim in pœnitentiam imponenda est a confessario obligatio dandi pauperibus, vel piis causis accepta pro quovis opere malo patrato, si accipiens non indigeat: tum quia peccatum est tali pœnâ dignum: tum ne lucrum ex peccato reportet, & sic ad peccatum affectum retineat, & ad illud iterandum alliciatur.

*Q. 17.* An accepta ob opus bonum jam debitum restitui debent?

*Resp. I.* Accepta pro actione vel omissione debitâ ex justitiâ restitui debent danti. *Est communis:* quia 1. Quæ accipiuntur pro actione vel omissione debitâ ex justitiâ, accipiuntur per injustitiam, nempe contra jus quod habet proximus, ut id fiat, vel omittatur sine sumptu suo: at accepta per injustitiam restitui debent. 2. Tunc nullus est titulus, seu jus accipiendi & retinendi; neque enim oritur ex contractu oneroso, cum ejus natura sit, ut utrumque obligationem pariat: nulla autem noxa obligatio imponitur ei, qui jam ex justitia obligatus est. Non item ex pacto gratuito, quia danti non est animus liberaliter donandi, sed dat coactè ex metu injuriæ, ne iure suo defraudetur. Responsio vera est, etiamsi pretium tibi detur ab alio tertio, cui nihil debebas. *Est communis.* nam ille verè dat pro re, quam gratis dare debes, & ad quam ius habet is, cuius causam gerit, & pro quo petit: ac proinde ei

vendis mediante pretio ab amico dato, id quod ei ex iustitia debes. Nec refert quòd opus debitum feceris in gratiam dantis pretium; nam hæc relatio non tollit obligationem exequendi opus sine pretio, nec ullum commodum pretio æstimabile affert solventi pretium; estque solùm mentalis: ergò non impedit iniustitiam.

Hinc peccant contra iustitiam, & tenentur restituere, qui aliquid accipiunt pro ferenda sententia iusta, pro testimonio vero dicendo, pro restituendo deposito, commodato, invento, vel pro solvendo debito; vel ad abstinendum à furto, homicidio, & detractione, &c. Cùm hæc omnia sint debita ex iustitia.

*Resp. II.* Accepta pro opere debito ex charitate tantùm, vel aliis virtutibus, quod sine labore, sumptu aut periculo fieri potest, restitui debent. *Ita Covar. Medin. Lessius, & alii.* Quia communi hominum iudicio talia opera non sunt pretio æstimabilia; nec omnino voluntariè ac liberaliter aliquid pro illis datur, sed coactè ob necessitatem.

Hinc qui accepit pecuniam, ut furem indicet, &c. tenetur eam restituere.

Si autem opus illud ex sola charitate debitum fieri nequeat sine labore, vel sumptu, vel periculo, aliqui docent accepta pro eo retineri posse; quia qui pro illo accipit, vel exigit pretium, peccavit solùm contra charitatem, cum opus illud sit pretio æstimabile. Alii verò

verò nihil distinguunt, & censent accepta pro quovis opere ex charitate, vel alia virtute debito, restituenda esse: quia iniquè exigitur & accipitur pretium pro opere, quod nullo oblato pretio præstari debet; & dans coactè, & rationabiliter invitus dedit, quippe timuit, ne alioqui non fieret id, quod debetur. De Lugo docet esse obligationem ex charitate, restituendi accepta ob opus debitum ex charitate, quando charitas obligabat ad subveniendum gratis proximo: quia ea obligatione posita, acceptio pretii impedit, ne possit fieri satis præcepto charitatis, cum pretio accepto non subveniatur gratis proximo prout charitas præcipiebat; sed tunc non est restitutio nisi latè dicta.

*Resp. III.* Si constet aliquid sponte, ac liberaliter donatum præcisè ad inclinandum accipientem ad bonum opus ex iustitia, vel charitate debitum faciendum, hic non tenetur illud restituere: quia donatio gratuita, ac voluntaria est iustus titulus retinendi donum gratuitum; nisi tamen lege positivâ inhabilis sit ad acquirendum dominium rei dono datae, sicut est iudex circa munus saltem magni momenti spontè oblatum.

*Resp. IV.* Qui aliquid accepit pro actione, vel omissione, quæ solum cedit in suum commodum vel in honorem Dei, non tenetur illud restituere: quia illud ex causa, vel sub conditione donatum est omnino voluntariè, ac liberaliter: nemo enim emit ab alio actiones,



vel omissiones liberas ei soli utiles: ut si des alteri aliquid, ut sacrum audiat, jeiunet, ne ebrietur, &c. Qui tamen accepit aliquid ne admittat crimen, quod legibus puni- tur, cogitur in iudicio ad restituendum, & post sententiam tenetur restituere, cum sit iusta, & legi conformis.

*Q. 18. Quid restitui debet ratione rei acceptæ?*

*Resp. I.* Qui tenetur restituere solum ratio- ne rei acceptæ, ex comuni tenetur solum resti- tuere rem alienam si adhuc extet, vel id, in quo ex ea factus est ditior si non extet apud se, & ad fructus exstantes, aut quatenus ex iis fa- ctus est ditior: quia tantum dem, & non plus habet ex re alienâ sive in se, sive in æquivalenti. Quare mensura restitutionis faciendæ ratione rei acceptæ est quantitas possessionis rei alie- næ, vel in se, vel in æquivalenti possessæ. Ita ut tantum restituatur, quantum rei alienæ in se, vel in æquivalenti possidetur, l. 25. ff. *De petit. Hered.* Alienum autem in æquivalenti quis possidet, cum rem alienam consumendo, aut donando, rebus suis pepercit, vel alienan- do aliquid acquisivit.

*Q. 19. Ad quid tenetur possessor bonæ fidei?*

*Resp. I.* Qui rem alienam bona fide possidet, putans prudenter esse suam, ubi primum no- vit esse alienam, ex communi tenetur eam re- stituere prima opportunitate, l. 22. ff. *de petit. hered.* quia Dominus habet jus rem suam pos- sidendi. Quòd si non reddat, ubi primum potest

potest commodè, incipit esse possessor malæ fidei, & tenetur ad restitutionem tum ratione rei acceptæ, tum etiam ratione injustæ detentionis, quæ est æquivalenter injusta acceptio: unde si interim res etiam casu pereat, tenetur ejus pretium restituere, cum fuerit in mora culpabili: tenetur autem rem eandem Domino restituere, nec licet ei pecuniam vel aliud pro illâ sine ejus consensu dare; quia res illa in individuo est Domini, nec sine injuria potest Dominus invitus cogi rem suam vendere aut commutare, cum habeat, jus illam possidendi ac retinendi, & constat ex l. 3. *Regum c. 21.* ubi de vinea Naboth.

*Resp. II.* Ex communi, si possessor bonæ fidei rem alienam bona fide consumpsit, vel amisit, vel alienavit, nihil tenetur restituere si non sit inde factus ditior, ex *Instit. de offic. judic. & l. 23. ff. de petit. hered.* Nam cum solum teneatur ratione rei acceptæ, & possessæ, non tenetur plus restituere, quàm ex ea possideat sive in se, sive in æquivalenti: sed tenetur restituere id, in quo factus est ditior ex re aliena, ex l. cit. quia id, in quo factus est ditior, succedit in locum rei acceptæ, quæ tunc existat in æquivalenti apud ipsum, & eatenus possidet rem alienam in æquivalenti. Præterea iniquum est, ut quis ex re aliena cum Domini jactura locupletetur. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura, Reg. 48. iur. in 6.*

Hinc

Hinc nil tenetur restituere, si res aliena durante bona fide perit casu, vel etiam culpa; item si eam donavit, aut consumpsit, aliam nondonaturus, nec consumpturus. Secus, si aliam ex suis erat donaturus, vel consumpturus, quia tantumdem ex suis bonis servavit, & sic ex re aliena plus habet, quam alioqui haberet. Si autem rem alienam sibi donatam vendidit, tenetur eius pretium Domino ipsius rei restituere: nam habet pretium rei quod est æquivalenter res ipsa, & sic factus est ditior ex re aliena.

*Resp. III. Ex communi*, possessor bonæ fidei tenetur deductis expensis, & laboribus restituere Domino fructus rei naturales, & mixtos, qui apud illum exstant, l. 22. Cod. *De rei vindic.* Nam res fructificat Domino suo, sive fructus, qui ex re aliqua nascuntur, pertinent ad eum, ad quem res ipsa pertinet, cum id totum, quod res est, & potest, sit Domini sicut res ipsa; si illi fructus non exstant, tenetur solum quatenus ex iis factus est ditior; nam res alterius exstat tantum apud ipsum æquivalenter quoad hoc, ex l. 1. Cod. *De petit. Hæred.* ibi: *Fructus bonæ Fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint.* Sed non tenetur restituere 1. fructus meræ industriæ, quia non sunt fructus rei. 2. fructus, quos negligentia suâ non percepit, quamvis eos percepisset Dominus rei: nam non tenetur Dominum indemnem reddere, nec restituere

tuere in pristinum statum, cum eum ab eo non detruserit saltem culpabiliter: unde nec tenetur lucrum cessans, aut damnum emergens, compensare. 3. Juxta multos non tenetur restituere fructus naturales, & mixtos, quos bona fide, & cum titulo colorato possedit per triennium, etiamsi inde factus sit ditior: quia res mobiles præscribuntur triennali possessione cum titulo colorato. *Instit. de Usucap.*

Hinc possessor bonæ fidei tenetur tantum restituere rem alienam, & eius fructus, vel id, in quo factus est ditior ex re, aut fructibus eius naturalibus, vel mixtis.

Q. 20. An, & cui restituenda sunt bona vacantia, & derelicta?

Resp. I. Bona vacantia, id est, bona quæ relinquit aliquis ab intestato decedens sine hæredibus, qui secundum legem ei ab intestato succedant, restitui debent fisco, quia ad fiscum pertinent, l. 4. Cod. De bon. vac. Bona tamen mobilia vacantia peregrinorum in pios usus per Episcopum impendi debent, ex Authent. *Omne peregrini*. Cod. de Success.

Resp. II. Bona derelicta, vel quæ nullum unquam habuere Dominum, jure naturæ, & gentium sunt inventoris; nam cum nullius sint, fiunt primò occupantis; nisi aliter leges speciales statuunt, ex *Instit. de rer. divis.* & l. 1. ff. *pro derelicto*. Bona autem derelicta sunt ea, quæ Dominus eo animo abjecit, ut jam esse

esse sua nolit. *Instit.* Hinc bona naufragorum, vel bona, quæ per incendium ejiciuntur, aut in tempestate projiciuntur, levandæ navis causâ, aut eluvione aquarum abripiuntur, non sunt habenda pro derelictis; quia Dominus semper retinet voluntatem illa habendi ut sua; unde ei restitui debent etiamsi à periculo eripueris aliàs peritura, ex *Instit. de rer. divis.* & l. 18. Cod. *De furtis*, & ex cap. 3 *De raptor.* & ex Bullis Julii II. & Pauli III. Quia salva facta sunt Domino suo, qui semper habuit voluntatem, ut ad se reverterentur, res enim sive in periculo, sive extra periculum semper est Domini sui.

**Q. 21.** *An & cui restitui debent bona inventa, & bona, ac debita incertâ?*

*Not.* Bona, ac debita incerta dicuntur ea, quorum Dominus, vel creditor, vel ejus hæres cognosci, vel inveniri nequit post diligentem inquisitionem, quæ judicio prudenti sufficiat pro rei gravitate. Hinc non sunt incertâ, dum constat ea deberi certæ communitati, vel majori ejus parti. Item conservari debent, quamdiu est spes Dominum inveniendi. Quod si dubitetur solum, cui ex pluribus res debeatur, tunc si dubium prudenter resolvi nequit, inter illos ex æquo dividi debet juxta quantitatem dubii, ut servetur æqualitas.

*Resp. I.* Bona aliena inventa, quorum Dominus, vel ejus hæres post diligentem inquisitionem

sitionem cognosci non potest, impendi debent in pauperes, vel in alia pia opera. Quia 1. Catechismus Romanus dicit: *Si rerum inventarum Dominus nullâ ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda.* 2. Sententia communis Doctorum, teste Lessio, cum S. Thoma docet ita impendi debere, & quidem jure naturali, quod satis patet ex ratione, qua utuntur. 3. Res quæ remanent in dominio alterius, si nequeant ei reddi, jure naturali impendi debent secundum ejus voluntatem rationabilem, & prudenter præsumptam: nam non licet de re cujusquam, aliter quàm ex ejus voluntate disponere. Ad hæc censetur rationalis voluntas Dominorum, ut talia bona impendantur in pauperes, vel alia pia opera, cum sic impendantur optimo, quo impendit possunt modo, & id cedat in suam, vel suorum, vel publicam utilitatem, nullusque sit, qui non putet eleemosynam esse opus bonum, & utile. Jam verò qui amisit aliquid semper retinet ejus dominium: nemo enim amittit dominium rei suæ, nisi vel sua propria voluntate, vel lege aliqua, aut sententiâ justâ, non autem casu fortuito. Unde illud S. August. in c. *Si quid* 14. q. 5. *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.* 4. Ex Autent. *Omnes*, Cod. *communiae de Success.* ibi: *Si intestati decesserint (peregrini, & advenæ) ad hospitem nihil perveniet, sed bona ipsorum per manus Episcopi, si fieri potest, heredibus tradantur, vel in pias causas erogentur.* Et

Et ex l. 44. ff. De furtis, ibi: *Qui alienum quid jacens lucri faciendi causâ sustulit, furti obstringitur, sive scit cuius sit, sive ignoravit: nihil enim ad furtum minuendum facit, quòd, cuius sit, ignoret.*

*Not.* Si in rei inventione nullus labor, vel sumptus impensus fuit, inventor non potest quidquam retinere, aut exigere, quia nullum habet ad id titulum; sed tenetur rem totam gratis Domino, vel pauperibus reddere: nullum enim habet jus retinendi quidquam ex re aliena; & injustum est, ut quis rem suam pretio sibi comparet. Potest tamen accipere, quæ ipsi dantur, vel liberaliter ex gratitudine, modò nihil exigat, vel propter laborem, si quis fuerit.

*Resp. II.* Bona, vel debita incerta sive ex delicto, sive ex contractu, vel ratione rei acceptæ, restitui debent pauperibus, vel aliis piis causis, idque jure naturali secundum communem sententiam, teste De Lugo De bonis iniuste partis Constat 1. ex cap. 5. de Usur. ubi Alexand. III, jubet usuras pauperibus restitui, si non supersunt ii, quibus debentur, vel eorum hæredes: *Cum non remittatur peccatum nisi restituatur ablatum*: quæ ratio valet pro quibusvis debitis saltem ex delicto. Et exc. Nemo 14. q. 5. ibi: *Nemo qui rapit, moriens, si habet unde reddat, salvatur. Si eos quorum fuit, invenire non poterit, Ecclesiæ, vel pauperibus tribuat.* 2. Nemo debet commodum ex sua ini-

qui-

quitate reportare. 3. Dominus non vult ea retineri ab iniusto possessore: alioqui daretur occasio iniuriis inferendis sub spe iuste retinendi iniuste parta.

De bonis, ac debitis non ex delicto constat etiam ex dictis: quia bona, ac debita incerta sunt instar rerum inventarum, quarum Dominus cognosci nequit, & eadem est ratio pro illis: ergo idem est iudicium de illis. Enimvero bona, quæ non possunt tradi Domino, vel creditori, nec eius hæredibus, iure naturali impendi debent secundum voluntatem eius rationabilem prudenter præsumptam, & ei restitui meliori modo, quo possunt, ideóque dari pauperibus, vel piis causis, cum id ei, vel hæredibus, vel Reip. profit.

*Sed quid si post applicationem inveniatur Dominus?*

*Resp. I.* Si ante diligentem inquisitionem bona, vel debita incerta impendisti in pauperes, teneris adhuc restituere Domino comparenti. *Est communis.* quia fecisti injuriam vero Domino, qui jus habet ne bona sua omissa diligenti inquisitione alienentur. Si vero post diligentem inquisitionem erogasti pauperibus, ad nihil teneris; non enim teneris ratione rei acceptæ, cum nihil apud te exstet; neque ratione injuriæ, quia jam restituisti eo modo, quo potuisti, ac debuisti: neque ex contractu, aut lege, cum nihil horum sit. Si

Tom. II.

K

tamen



tamen ea tibi tanquam pauperi applicasti, Lefsius docet te teneri ea restituere Domino postea cognito, modo adhuc existit in se, vel in pretio, idque quamvis sine tua culpa ea haberis; quia teneris ratione rei, nec es in tanta necessitate, ut eam tibi possis reservare.

Rectè autem monent, si res inventa, vel debita sit magni momenti, potius eam Xenodochio, vel Monasterio pauperi, quàm aliis pauperibus dandam esse, sub obligatione eam restituendi Domino, si comparuerit. Si tamen bona fide in alios pauperes distributa fuerit, cum jam nulla spes superesset inveniendi Dominum, ad nihil amplius distribuens tenebitur, cum adhibuerit debitam diligentiam ad restituendum Domino, & jam restituerit secundum ejus voluntatem rationabiliter præsumptam.

*Resp. II.* Secundum multos pauper, vel pius locus, cui bona incerta erogata sunt, non tenentur ea restituere Domino comparenti, nisi data fuerint sub hac conditione: quia pauper, vel locus pius acquisivit absolutè dominium, nam res ei absolutè donata est, cum Dominus non poterat censerì invitus. Sed alii docent rem restituendam esse, si adhuc existet in se, vel in æquivalenti: quia donatio facta est sub conditione tacitâ: *si non compareat Dominus*: alioqui negotium ejus non esset sat benè gestum, quod mihi videtur probabilius de re, quæ adhuc existat in se.

Q. 22.

**Q. 22.** *An qui habet rem alienam, tenetur ad restitutionem, si pereat, vel deterior fiat ex casu fortuito?*

*Resp.* Qui rem alienam injustè accepit, vel detinet, *ex communi* tenetur de damno omni etiam fortuito: quia ratione injuriæ tenetur Dominum rei indemnem servare. Qui verò rem alienam bona fide, vel ex contractu habet, non tenetur de casu fortuito, si absint culpa, mora, & pactum, ex l. 23. ff. de Reg. Jur. & cap. Unico de Commodat. Quia his seclusis res quælibet perit Domino, l. 9. Cod. de Pignor. Ad. Et verò casus fortuitus est extra humanam prudentiam, cum sit inopinatus rei eventus, qui ab homine prævideri, aut vitari non potuit, ut incendium, latronum vis, mors, &c. Sed secundum omnes tenetur de casu fortuito, 1. si intercedit pactum de illo præstando; nam pacta obligant ex justitia. 2. si sit in morâ culpabili restituendi, ut si tempore statuto non restituat rem cum possit, & hæc postea pereat. Nam ex Reg. 25. Jur. in 6. *Mora sua cuilibet est nociva*: si enim restituisset, fortè non perisset; & per moram culpabilem fit injustus detentor. 3. si ex culpa dedit occasionem casui fortuito, non observando pactum, ut si reclusus sit alio loco, vel tempore, quam quo conventum est, & magis periculoso, in eoque res perit, vel si contra pactum ignem accendit in re locata, quæ postea casu combusta est: nam peccavit contra justitiam, quod si non fecisset,

damnum non fuisset; & qui occasionem damni dat, damnum videtur dedisse, c. ult. de injur. Hæc traduntur, cap. 2. de Depos. *Facto, culpa, vel morâ precedentibus, casus etiam fortuitus imputatur.*

## CAPUT IV.

### *De Cooperantibus ad damnum.*

**Q. I.** **A**N qui Cooperantur ad damnum alterius, tenentur ad restitutionem?

*Resp. Aff. Ita omnes. Quia qui quoquo modo sunt causa efficax injusta damni, tenentur illud resarcire; nam quisque jus habet, ne ei quocumque modo directè, vel indirectè, immediatè, vel mediatè damnum sine iusta causa, & auctoritate inferatur, & ut resarciatur iniuste illatum, ex cap. ult. De injur. ubi Greg. IX. ait: Si culpâ tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.*

Novem autem sunt modi, quibus quis potest cooperari damno alterius: unde secundum omnes causæ cooperantes sunt novem, scilicet mandans, consulens, consentiens, palpo seu adulator, receptator, participans, mutus, non obstans, non manifestans: quarum  
sex

sex priores sunt positivæ, tres verò posteriores negativæ: Comprehenduntur his versibus.

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,  
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Q. 2. *Quid requiritur ut Cooperantes teneantur ad restitutionem?*

Resp. I. Requiritur, ut sua cooperatione fuerint causa damni: nam qui non est causa damni, nullum damnum reipsâ intulit; sed qui nullum damnum intulit, nullum tenetur resarcire. Porro non semper consilium, adulatio, vel aliquid hujusmodi est efficax causa rapinæ. Unde hinc solum tenetur consiliator, aut palpo ad restitutionem quando probabiliter estimari potest, quòd ex hujusmodi causis, fuerit injusta acceptio subsequuta, ait S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 7.

Resp. II. Ut jubens, consulens, consentiens, laudans, receptator, adjuvans teneantur restituere, sufficit, ut executor mandato, consilio, consensu, adulatione, recursum verè motus sit, vel alterius auxilio, operâ, adjutus sit ad damnum inferendum: quia tunc sunt verè causa damni; neque enim est de ratione veræ causæ, ut eâ non positâ non ponatur effectus, sed tantum ut ex eâ sequatur effectus: nam causa efficax est præcisè ea, ex quâ Physicè, vel moraliter provenit effectus. Ita Covar. Cajet. Sot. Azor, Vasquez, Molina, Lessius. de Lugo, & alii.

Idque certum est, inquit Lessius, etiamsi alius non defuisset, qui iussisset, consulisset, adiuvisset, &c. Nec credibile est aliquos id negare, ne eos quidem, qui indistinctè requirunt, ut alioqui damnum secutum non fuisset, sed supponunt nullam aliam causam fuisse superventuram: alioqui eorum opinio est apertè falsa. Quia talis ira est causa damni in hoc casu, ut si ipse, vel alius similis non moveret, vel adjuvaret executorem, damnum non fieret: ergo verè est causa, sine qua non fieret damnum; nam causa sine qua non, est ea, quæ ita cooperatur, ut sine ipsâ vel simili superveniente non fieret effectus à causa executrice. Igitur jubens, consulens, adjuvans, &c. tenetur restituere, etiamsi non defuisset alius qui iussisset, consulisset, adiuvisset, &c. Enimverò alium præveniendo in iniuria, contraxit obligationem quam ipse contraxisset; & alioqui qui damnum iniuste passus est ab aliis, non haberet ius exigendi restitutionem ob multitudinem hominum iniquorum.

Quare solum controversia esse potest, quando executor absque illo consilio, mandato, laude, ministerio, auxilio, idem damnum illaturus fuisset, quamvis nulla alia similis causa fuisset superventura; quia nempe jam erat ex se ad id paratus, & promptus. Tunc etiam esse obligationem restituendi affirmant Caiet. Sot. Medina, Vasquez, Molina, quos refert, & sequitur de Lugo, asserens, hanc esse communem

nem

nem sententiam inter recentiones, modò re-  
vera suo consilio, mandato, vel auxilio coo-  
peretur de facto ad damnum: quia talis est  
verè causa damni, nam esse causam non est,  
quòd illâ deficiente effectus non fieret, sed  
quòd illâ etiam re ipsa cooperetur ad damnum.  
Nec obstat, quòd executor iam ex se esset cau-  
sa efficax damni; nam duæ causæ totales mo-  
rales possunt concurrere ad eundem effe-  
ctum, atque etiam duo motiva totalia, ita ut  
uno eorum deficiente effectus adhuc ex vi  
alterius fieret, v. g. si medicus eat in aliquem  
locum vocatus à duobus infirmis ad eos cu-  
randos, ita ut propter singulos seorsim iret,  
moveretur quidem ab utroque, ita tamen, ut al-  
tero deficiente iret; tunc singula motiva verè  
concurrunt, & tamen altero deficiente effe-  
ctus fieret. Unde quoties tuum consilium,  
vel auxilium verè movet, & influit, licet eo  
deficiente idem damnum fieret, adhuc verè  
es causa damni, nam verè damnum adhuc ori-  
tur ex tuo consilio, &c. Cæterum in dubio,  
an alter tuo consilio, &c. efficaciter motus  
fuerit ad damnum inferendum, nec ne, temperis  
restituere, vel totum, vel saltem pro quantitate  
dubii: quia in dubio nemo præsumitur ma-  
lum sua sponte facturum; & quia possessio  
stat pro obligatione restituendi, cum constet  
positam esse causam de se damni illativam,  
*vide dicta Q. II.*

*Sed quid si executor consilio, aut aliâ simili causâ  
motus est tantum ad damnum inferendum  
facilius, confidentius, vel citius?*

*Resp.* Multi negant mandantem, consulentem teneri tunc restituere. Quia tum rem moraliter æstimando, non est causa efficax damni, & nihil interest ad damni illationem, an facilius, confidentius &c. illatum sit, si revera sublato consilio, &c. illatum verè fuisset ab executeore jam ad id ultrò determinato; & tunc consulens, laudans, &c. non tam sunt causæ substantiæ damni, quàm modi vel circumstantiæ, qua mandatur executioni; ut quòd fiat hoc modo, hoc instrumento, hoc tempore, &c. Ergo non tenentur substantiam damni rependere; & ita sentire dicunt S. Thom. in 4. dist. 15. q. 1. a. 5. ad 3. quæstionem. ubi ait de consulente: *Non obligatur semper ad restitutionem, nisi in certis casibus, quando probabiliter credit, quòd consilium suum fuit efficax, & quòd alias injusta ablatio commissa non fuisset.* & S. Antoninum 2. p. tit. 2. c. 1. §. 6. ubi dicit jubentem, & consulentem teneri de dono, *quòd alias non fuisset factum*, supple seclusâ aliâ simili causâ.

Medina verò, Cajet. Sot. Molina, Vasquez, Reginal. & alii affirmant: quia adhuc talis est vera causa damni, nam est causa hujus individuæ actionis damnosæ, quæ hic, & nunc fit, & ad eam concurrat.

Porro adhuc probabilius est teneri ad restitutionem.

tutionem eum, qui fuit causa, ut damnum citius inferretur, tum ex l. 5. ff. ad leg. Aquil. ibi: *Si quis seruo mortiferum vulnus inflixerit, eundemque alius ex intervallo ita percusserit, ut maturius interficeretur, quam ex priore vulnere moriturus fuerat, statuendum est utrumque eorum lege Aquiliã teneri*: tum quia alioqui potuisset executor mutare voluntatem, vel impediri à damno inferendo: & sic damnum sine tuo consilio vel opera potuisset non exstitisse, & fortè non exstitisset; deinde es causa damni hinc, & nunc illati.

*Q. 3. An omnes cooperantes ad damnum tenentur singuli in solidum?*

*Resp. I.* Mandans, consulens, consentiens, laudans, vel receptans, &c. tenetur ad restitutionem totius damni, si causa fuit totius damni, partis verò, si solum partis causa fuit. Nam quisque tenetur refarcire totum, & solum damnum, cujus causa iniusta fuit: & quando ad idem damnum concurrerunt, tunc singuli tenentur in solidum modo infra explicando.

Quoad participantes, cum plures cooperantur ad idem damnum inferendum, sic ut singuli sint causa actionis iniustæ, seu conferant in actionem injustam; ut dum plures communi consilio, operâ, auxilio, domum, vineam, hortum spoliant, gregem abigunt, vel ædes incendunt, aut unus præbet aliis instrumenta, v. g. claves, arma, scalas, &c. tunc

K 5

singuli



singuli tenentur in solidum, id est, unusquisque  
 tenetur non solum restituere pro sua parte, sed  
 etiam resarcire totum damnum, si alii non re-  
 stituant, vel quia nolunt, vel quia non possunt.  
 Nam singuli in totum damnum influxerunt  
 communi conspiratione, operâ, vel auxilio;  
 & re ipsa actio damnosa est communis omni-  
 bus: ideoque singuli sunt causa totius damni,  
 & quidem totalis totalitate effectus, cum to-  
 tum damnum oriatur à singulis, licet sint par-  
 tialis causa partialitate causæ, ex l. 31. ff. *ad leg.*  
*Aquil.* ad obligationem autem in solidum fa-  
 tis est, quod quilibet eorum sit causa, ex qua  
 damnum illatum est, sive unus seorsim ad illud  
 sufficeret, sive non: nam licet posset unus per  
 se ipsum seorsim damnum inferre; at re ipsa  
 hic & nunc sine hoc tanquam socio alius da-  
 mnum non infert, & sic uterque est causa da-  
 mni in totum. Ita *Covar. Medin. Cajet. Sol.*  
*Molina, Lessius, Tannerus, &c.* Nec obstat quod  
 concurrant ad totum damnum solum partiali-  
 tate causalitatis: ideoque solum partialiter  
 damnum à singulis proveniat: nam hoc pro-  
 bat singulos teneri tantum absolute ad partem  
 damni, hypotheticè verò ad totum, seu ex hy-  
 pothesi, quod alii non restituant, qui tamen  
 suam partem teneantur rependere alteri pro se  
 restituenti; cum actio damnosa verè à singu-  
 lis promanet.

Hæc autem obligatio in solidum ad totum  
 magis adhuc constat respectu participantis,  
 qui

qui ita concurrunt ad damnum, ut sola ejus actio  
 sufficeret ad illud creandum, licet non sola  
 illud creaverit; quia ex modo, quo influit,  
 totaliter ponit effectum, & est causa simplici-  
 ter illius. Ut si duo simul lethaliter vulnerent  
 aliquem, singuli eum occidunt, quia singuli  
 ponunt id, quod sufficit ad ejus mortem. *Ita*  
*De Lugo.* Item respectu causæ partialis, sine  
 ejus causalitate, & cooperatione, quâvis aliâ  
 causâ superadditâ, effectus non fieret: nam  
 tunc moraliter loquendo & inæstimatione  
 prudenti singulæ ejusmodi causæ partiales  
 æquivalent totalibus: nam licet singulæ non  
 possint ponere effectum, & damnum; pos-  
 sunt tamen illud impedire subtrahendo coo-  
 perationem, sine qua effectus non fiet. *Ita*  
*idem De Lugo, Vasquez.*

Quando verò plures sic damnum inferunt,  
 ut singuli solum faciant partem damni inde-  
 penderent à se mutuò, ita ut unus non move-  
 at, nec incitet, nec adjuvet alium, ut cum plu-  
 res per se separatim, sine communi consensu,  
 conspiratione, & opera, damnum inferunt;  
 tunc singuli non tenentur in solidum, sed so-  
 lum pro suâ parte, & independenter à se invi-  
 cem: quia tunc unusquisque non est causa to-  
 tius damni, sed solum partis damni, quod per  
 se intulit.

*Resp. II.* Causæ negativæ damni, seu non  
 impediens damnum alterius, scilicet mutus,  
 non obstans, non manifestans, cum ex iusti-  
 tiâ

tiâ tenentur impedire, ex communi obligantur in defectum aliorum ad restitutionem in solidum: quia sunt causa iniusta totius damni post alios; nam causa permissiva damni contra debitum iustitiæ, est vera illius causa iniusta, cum potuisset, & debuisset ex iustitia impedire, nec tamen impedivit, unde violavit ius, quod alter habebat, ut eius damnum impediret, quod proinde ei merito imputatur.

*Q. 4. Quo ordine cooperantes tenentur ad restitutionem?*

*Resp.* Inter obligatos in solidum hic ordo ex communi Doctorum sententiâ, servandus est.

1. Loco, & ante omnes tenetur is, apud quem res aliena existat in se: nam qui rem alienam in individuo habet, tenetur eam restituere ratione rei acceptæ, ideòque primariò: res enim aliena, quamdiu existat in se, per se debetur Domino, sempérque clamat pro eo.

Quòd si res aliena jam non existat in se, & is ad quem pervenit, consumpsit, aut alienavit eam mala fide, sciens aut saltem dubitans esse alienam; tunc adhuc ante omnes tenetur ejus pretium restituere; quia *Pro possessore habetur, qui dolo desit possidere.* Reg. Jur. 36. in 6. & quia nova injuria, quam fecit alienando, vel consumendo, non liberat eum à restitutione primo loco facienda, perinde, ac si rem haberet. Alioqui ex iniquitate sua commo-  
dum

dum reportaret. Deinde cum ex re aliena sciens, ac volens præ cæteris commodum perceperit, æquum est, ut præ cæteris restituere teneatur.

Si verò rem alienam habens eam consumpsit alienative bona fide, ignorans esse furtivam; is non tenetur restituere, nisi quantum ex ea re factus est ditior, cum fuerit possessor bonæ fidei. Ad hoc tamen primo loco tenetur, quia quoad hoc habet rem alienam in æquivalenti, & ex ea præ cæteris commodum percepit. Quare si alter damnum compenset, is, ad quem res furtiva pervenit, tenetur huic restituere rem, si adhuc existet, vel ejus pretium, si mala fide consumpsit, vel quantum ex ea ditior factus est, si consumpsit bona fide: nam jus Domini translatum est in eum, qui damnum compensavit.

Secundo loco Mandans, seu jubens: quia est causa magis principalis; executor verò se habet ut ejus instrumentum: nam damnum non solum jubentis motione, sed etiam nomine, & autoritate executori necessitatem quamdam moralem imprimente fit. Item qui fraude induxit, vel metu, aut vi coëgit, & cui alter non est ausus contradicere: nam injustè conjecit executorem in obligationem restituendi, eique, & damnificato injuriam intulit: & sic debet executorem indemnem servare, ideóque prius resarcire totum damnum inde

inde secutum. Quare si ii restituerint, nihil tenetur executor eis rependere.

Eodem etiam, quo jubens loco, tenetur is, qui suo nomine damnum fieri rogavit, aut suavit; nam hoc ipso, quod rogavit, aut suavit suo nomine fieri, censetur in se totum onus restituendi suscepisse, & se habet instar mandantis. Præterea is, cujus nomine fit damnum, est causa principalis, quæ instar finis, & efficientis moralis movet cæteras: ergo ante cæteras tenetur. *Lessius.*

Tertio loco tenetur Executor, quia est causa principalis post mandantem, cæteri vero sunt causæ secundariæ: nam magis suo nomine influit in damnum, & illud immediatius attingit, quàm illæ aliæ causæ. Deinde quod hæ causæ faciunt, id faciunt ut quodam modo servientes executori. Si tamen plures inter se inito consilio communem inimicum impetant, & unus ex eis illum occidat, vel ejus domum incendat; omnes æqualiter restituere tenentur; quia omnium nomine damnum factum est, omnes sunt participantes.

Quarto loco, & in priorum defectum, cætera causæ positivæ, nempe consulens, consentiens, laudans, receptans, adjuvans, tenentur singulæ ad suam partem secundum proportionem suæ cooperationis, & quidem æque primò ratione suæ cooperationis, sine ordine inter se. *Est communis.* quia una non est cooperata ad damnum mediante altera, & ut  
instru-

instrumentum alterius, vel alterius nomine, sed unaquæque per se in suo ordine: unde una non est magis, vel minus principalis causa respectu alterius. Ergò si mandans, vel executor non restituat, omnes istæ causæ secundaria tenentur pro rata restituere; majorem quidem portionem, quæ magis, minorem verò, quæ minus cooperata est. Tenetur tamen quælibet totum restituere in defectum aliarum.

Si tamen executor nomine omnium damnus intulit, omnes simul tenentur primo loco: quia illorum causâ factum est, & consentiendo ut sic fieret, tacitè in se receperunt obligationem restituendi. Executor verò ut executor tenetur tunc 2. loco, nisi sit etiam unus illorum quorum causâ factum est, tunc enim tenetur simul cum aliis.

Ultimo loco, post omnes causas istas positivas, & in earum defectum, tenentur causæ negativæ, seu non impediens damnus contra debitum justitiæ. Tum quia causa negativa minus, ac remotius ad damnus concurret, quàm positiva: nam causa positiva reipsâ creat positivè physicè vel moraliter damnus: negativa verò solum non impedit influxum positivæ. Tum quia negativa non tenetur ad restitutionem, nisi quia alius damnus intulit, nec refarcit: unde damnus passus non potest petere restitutionem à non impediente, nisi prius probaverit sibi damnus illatum esse.

esse, nec compensatum: ergò priùs est alios non restituisse, quam causam negativam teneri ad restitutionem: ergò hæc tenetur solum in defectum positivæ. Si tamen contingeret damnificatorem ex consideratione præteritæ negligentæ superioris, vel custodis incitari ad damnificandum, tunc superior, vel custos non impediens non se haberet ut causa merè negativa, sed simul ut positiva; ideoque teneretur simul conferre in restitutionem cum causis positivis, & non post illas, ut notat De Lugo.

Porro inter causas negativas non datur ordo, quia neutra est instrumentum alterius, aut magis præcipua; nisi tamen una teneretur magis immediatè impedire damnum.

*Q. 5. Quando plures sunt cause æquè principales, vel æquè secundariæ, quæ videantur æqualiter contulisse ad totum damnum, ad quid singulæ tenentur?*

*Resp.* Tenentur æquas portiones conferre ad damni compensationem: nam cum æquè principaliter cooperati sint ad totum damnum, æqualiter, & æquis partibus tenentur ad illius restitutionem. In defectum reliquorum quisque tenetur in solidum: quia quisque concurrat ad totum damnum, cum sit causa totius actionis damnosæ; ergo in defectum sociorum tenetur totum damnum resarcire.

*Q. 6.*

Q. 6. Si una causa restituerit, an aliæ obligantur?

Resp. 1. Si causa magis principalis totum restituat, cæteræ omnes liberantur ab onere restitutionis. *Est communis.* quia causæ minùs principales tenentur solùm restituere in defectum causæ magis principalis, & primariò obligatæ: ergo hac restituente aliæ sunt liberæ, nec tenentur ei quidquam rependere. Si verò causa secundaria restituerit, causa magis principalis, & primariò obligata tenetur ei totum rependere. *Ita communis.* quia causa minùs principalis solvendo acquisivit jus, quod creditor habebat exigendi solutionem à causa principali, quæ primariò tenebatur; nec par est, ut sit peioris conditionis, ex eo quòd solverit id, quod altera primariò tenebatur solvere, & qua solvente nihil deberet: sicque ejus negotium utiliter gesserit, ex L. 43. ff. de *Negot. gestis.* Præterea alioqui debitor principalis melioris conditionis esset ob suam iniquitatem, quâ restituere noluit id quod immediatè debebat, & non in defectum aliorum.

Hinc 1. si mandans restituerit, aliæ omnes causæ sunt liberæ; nam sunt minùs principales. Executori verò restituenti solus mandans tenetur ei totum rependere. 2. Si alia causa secundaria restituerit, jubens, & in ejus defectum exequens tenetur ei totum reddere; cum executor sit causa magis principalis post jubentem. 3. Si causa positiva restituerit, li-

Tom. II.

L

bera



bera est causa negativa; cum hæc teneatur solum in defectum illius. Econtra si causa negativa restituerit, tenentur causæ positivæ secundum suum ordinem ei totum solum restituere. 4. Si creditor remittat causæ magis principali, ut jubenti, vel executori, aliæ sunt liberæ: quia cum remissio extinguat debitum, debitor principalis liber est: ergo & ii qui solum in ejus defectum tenebantur, sunt liberi, perinde, ac si causa principalis restituisse. Si verò creditor condonet uni causæ minus principali, tenetur adhuc restituere causa magis principalis: quia solum remittitur obligatio causæ secundariæ, non causæ principalis, quæ per se tenetur independentem à minus principali. Neque etiam liberantur aliæ, quæ in eodem gradu cum ipsa debent, quia solum portio alterius, non harum, condonatur: aliæ tamen jam non tenebuntur solvere portionem illius, cui remissio facta est.

*Resp. II.* Si una ex causis æqualiter obligatis totum restituerit, aliæ in defectum causæ priori loco obligatæ tenentur singulæ pro sua portione ei rependere. *Ita communis.* Quia aliàs non servaretur æqualitas inter cooperatores illos, cum singuli æqualiter teneantur pro rata: & quia jus, quod habebat Dominus exigendi à singulis partem, translatum est in eum, qui prius totum solvit: neque enim profociis solvit, ut essent liberi à restitutione; sed quia, illis nolentibus vel non valentibus restituere, tenebatur Domino restitutionem integram

gram procurare: & sic habet jus repetendi ab illis, quod pro illis Domino solvit, & quod ipsi dare debuissent. Neque enim alii sunt melioris conditionis, quia non fecerunt id, ad quod tenebantur; nec ille debet esse peioris, quia prior solvit id, ad quod alii tenebantur, & sic negotium ipsorum utiliter gessit. Quod verum est, quamvis alios induxerit; nam non fecit eis injuriam; quia scientes, & volentes induxit sine vi, vel fraude, neque mandavit, aut coëgit, neque suavit, ut in sui gratiam agerent, sed ob communem utilitatem, vel propriam cujusque: unde non censetur totum onus restitutionis in se suscepisse.

Quod si unus ex æqualiter obligatis nolit, aut non possit suam portionem restituere, ceteri tenentur hanc partem ferre, & æqualiter se dividere, v. g. Si tres teneantur æqualiter ad restituendum triginta aureos, & unus illos persolvat, eò quòd alii duo nolint, aut nequeant suas portiones restituere; postea verò alter eorum duorum velit restituere, hic tenetur priori ultra decem restituere quinque tanquam dimidium portionis, ad quam tenetur tertius, qui non vult, vel non potest restituere: nam tenetur, æqualiter cum eo, qui prius totum solvit, subire onus pro eodem tertio, cum sit æquè concausa damni.

*Q. 7. Quando in particulari singula causæ cooperantes ad damnum, tenentur ad restitutionem?*

*Resp. Ad singula seorsim totidem paragraphis.*

## §. I.

*De Mandante.*

*Resp. I.* **I**S cujus mandato, sive expresse, sive tacito, alter motus fuit ad damnum inferendum, ex communi tenetur primario ad restitutionem. Quia talis est causa præcipua damni: nam ejus nomine, ac autoritate fit damnum; & mandans, seu jubens necessitatem quamdam moralem executori imprimit, qui censetur esse solum ejus instrumentum, *cùm is committat verè, cujus autoritate, vel mandato delictum committi probatur, cap. 6. de Sent. excom.* Imò tenetur refarcire non solum damnum, quod præcepit, sed etiam, quod ex mandato inde præter ejus intentionem secutum est, si res præcepta fuerit periculosa: quia tunc mandans censetur causa culpabilis talis damni, aut saltem dedisse suâ culpâ occasionem tali damno, ex cap. ult. *de Homic. in 6. ibi. Is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat, cùm mandando in culpâ fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.*

Dixi, *tacito* ut si quis famulo vel filio aut alteri qui ipsius imperio moveatur, dicat: vindictam ex tali opto, aut vellem ut tali inferretur tale damnum, L. I. ff. *mandat.*

*Resp. II.* Ex communi si jubens ante damnum

num illatum mandatum revocet, idque mandatario innotescat, non tenetur restituere damnum postea illatum: quia jam non censetur causa damni, cum illud non proveniat ex mandato; tunc enim alter non agit ex vi mandati, nec mandantis nomine, sed suo nomine & motu. Secus, si revocatio mandati ante damnum non innotescat; quia tunc ex vi mandati damnum inferitur. Tenetur etiam mandans ad restitutionem licet mandatum revocaverit, si non impedierit subditum à damno inferendo; tunc enim tenetur ut non obstitans.

*Resp. III.* Si scias alterum paratum esse nomine tuo damnum inferre, nec impedias, cum possis, cohibendo, vel significando te nullatenus id velle, teneris restituere: quia censeris mandasse saltem tacite, aut certe taciturnitas tua censetur consensus, & approbatio. Deinde quisque tenetur ex justitia impedire, ne nomine ipsius, & tanquam aliquid sibi gratum damnum proximo injuste inferatur.

*Sed an qui ratum habet damnum suo nomine factum, tenetur restituere?*

*Resp. Neg.* Si neque expressè, neque tacite mandaverit. *Est communis.* quia talis nullatenus est causa damni: nam id quod posterius est tempore, non potest esse efficiens causa effectus præcedentis. Hæc autem Reg. 10. Jur. in 6. *Ratibabitionem retrahit, & mandato non est dubium comparari.* intelligi debet præ-

tertium de contractibus, qui alterius nescientis nomine celebrati, & à consensu ejus pendentes subsequente ratificatione confirmantur. Ratihabitio comparatur etiam mandato quoad culpam, & poenas in jure expressas, non autem quoad obligationem restituendi, nisi ea sit causa efficax, cur damnum inferatur, vel illatum non refarciatur.

## §. II.

*De Consulente.*

*Resp. I.* **C**onsulens dicitur is, qui consilio, vel precibus, promissis, suggestionem motivi, vel ostensione viæ nocendi induxit alium ad damnum inferendum. *Ex communi* tenetur restituere; quia est causa moralis, & injusta damni. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Quod si sint plures consulentes, singuli tenentur ex æquo: nam omnes in damnum æquè influunt, cum omnium consilio alter motus sit ad damnum creandum. Idem dic de pluribus jubentibus.

*Resp. II.* Si consulens ante damnum illatum revocet consilium, *ex communi* tenetur adhuc refarcire damnum postea secutum, si consilium consistebat in ostensione utilitatis, vel delectationis inde percipiendæ, vel modi exequendi: quia tunc adhuc meritò censetur  
causa

causa dampni, cum sit culpabilis causa motionis impressæ, ex qua damnum oritur, & quæ non tollitur revocatione; nam hac non obstante consilium semper remanet in motivo suggesto, vel viâ nocendi ostensâ: quemadmodum si ignem injeceris in res alienas, quæ postea incendio consumantur, teneris restituere quantumcumque postea coneris extinguere ignem. Ex quo patet disparitas inter revocationem talis consilii, & mandati: nam revocatio talis consilii non tollit omnem rationem agendi à consulente propositam, nec proinde motionem inde ortam: at revocatio mandati tollit omnem rationem agendi à mandante propositam, ac proinde omnem motionem ab ipso procedentem, cum mandatarius non agat nisi nomine mandantis, nec impellatur ad agendum, nisi ut ei obsequatur: hinc si mandans mandato suasionem addiderit, tenetur ratione consilii cum mandato conjuncti restituere damnum post revocationem illatum.

Quod si consilium consistebat in falsa doctrina, v. g. quod talis contractus esset licitus, qui tamen illicitus est, & consulens ante executionem illud revocaverit aperiendo illius falsitatem, *ex communi* non tenetur restituere: quia tunc efficaciter tollit causam dampni inferendi, & motionem à se impressam. Item qui precibus, blanditiis, vel promissis ad damnificandum induxit, & ante damnificationem ostendit sibi displicere, propositum mutasse,

& promissa revocare, non tenetur restituere; quia non est causa moralis damni postea illati; nam tollit penitus omnem rationem agendi à se propositam, & motionem à se impressam.

*Resp. III.* Qui minus malum consulit ad majus avertendum, non tenetur ad restitutionem, si consulit ut minus damnum eidem inferatur, cui inferendum erat majus: quia per hoc consilium nullum damnum alteri infert; imò majus impediendo, utiliter rem eius gerit, & tunc propriè non consulit damnum, sed potiùs imminutionem damni. At tenetur, si parato maius damnum inferre Paulo, consulat ut minus damnum potius inferat Petro, cui non statuerat inferre: quia consilio suo est causa iniusta damni Petro illati, & iniuriam infert Petro, nam quivis innocens habet ius, ne sibi inferatur damnum, etiam ad avertendum maius alterius. Et verò Petrus tam habet ius, ut servetur illæsus à minori illo damno, quam Paulus, ut servetur illæsus à maiori. Excipe nisi damnum Petri sit tam leve, ut teneatur ex charitate illud pati ad impediendum maius alterius pauperis; quia tunc non est rationabiliter invitus.

### §. III.

#### *De Consentiente.*

*Resp.* **C**onsentiens, quo nomine intelligitur etiam approbans, favens, suffragium ferens, tenetur ad restitutionem, quando

quando per consensum, approbationem, favorem, suffragium, auctoritatem influit in actionem damnosam: nam qui hanc influit, est causa damni ex ea secuti. Influire autem censetur, quando ab ejus consensu, favore, approbatione, vel suffragio oritur.

Hinc qui suffragium injustum tulit ad damnificandum, ad sententiam, aut legem injustam, ad eligendum indignum in aliquod munus, vel Beneficium, tenetur de damno. 1. Si suffragium dedit, antequam essent sufficientia ad id suffragia, nihil obstante, quòd tamen si non suffragatus fuisset, idem damnum ab aliis factum fuisset. *Ita communis*: quia revera fuit cum aliis causa injusta damni; nam sine illo, aut alia simili causa superventura non fieret damnum. 2. Si ignoret esse sufficientem numerum suffragiorum; nam voluit esse causa damni per iniuriam. 3. Quamvis non dederit; nisi post suffragia sufficientia, si poterat adducere priores suffragatores ad revocanda sua suffragia iniusta: nam tunc ex officio ad id obligatur, admonendo, quæ sui erant officii, & recusando suum suffragium: & sic tunc tenetur de damno secuto, saltem tanquam mutus, vel non obstans. Imò tenetur etiam ut causa positiva, si suffragia sint revocabilia, ut cum publicè feruntur in consilio: quia tunc damnum non est efficaciter illatum ante ultimum suffragium, nam pendet non solum ex primâ prolatione suffragiorum sufficientium,

L 5

sed



sed etiam ex perseverentia in illis, quatenus postea non revocantur. Quare quamdiu suffragium revocari potest, nondum est efficaciter positum ad creandum damnum; ac proinde, qui dat ultimum suffragium simul positivè cum aliis concurrat ad damnum, perinde, ac si omnes simul suffragia irrevocabilia dedissent. Ita *De Lugo*.

Quod si maior pars iniquum suffragium ante te irrevocabiliter dedisset, ita ut nequeas impedire damnum, dissentiendo, & resistendo; peccas contra iustitiam suffragando, cum consentias iniustitiæ; sed iuxta multos non teneris resarcire damnum: hancque esse communem sententiam asserit Layman; quia non fuisti causa illius efficacis, cum iam antea irrevocabiliter illatum fuerit. Juxta alios teneris, quia etiam postremorum suffragatorum ut consentientium nomine damnum executioni mandatur.

#### §. IV.

*De Palpone, seu adulatore, & laudatore.*

Resp. **Q**ui adulatione, laudatione, vituperatione alterum ad damnum creandum inducit, v. g. ad vindictam, iniuriam patranda, laudando facinus, vel exprobrando ignaviam ob omissionem vindictæ, vel criminis, tenetur ad restitutionem, si alter ex tali laude, vel exprobratione motus sit ad damnum  
infe-

inferendum: quia est causa moralis damni, nam se habet instar consulentis, proponendo laudem, vel ignominiae vitiationem ex facinore secuturam, velut motivum agendi.

## §. V.

*De Receptatore.*

*Resp.* AD restitutionem tenetur, qui recursum, securitatem, & fiduciam alteri præbet ad damnum inferendum, vel ad non resarciendum illatum. Ut si recipiat domi damnificatorem, & non alios passim; si rem furtivam custodiat, ut furi servet; si ipsum furem, vel ejus instrumenta occultet, ita ut hinc incitetur ad damnificandum. Item caupo, vel alius recipiens aliquem consumentem bona aliena, ut filium familias impendentem bona parentum. Nam tales revera cooperantur damno, quippe sine illis, aut aliâ simili causâ hoc damnum non fieret, ex l. 3. ff. de incendio. *Non tantum qui rapuit, verum is quoque qui recepit, ex causis supradictis tenetur: quia receptores non minus delinquant quam aggressores.*

Qui verò furem, dum à licitoribus quæritur, occultat solum, ut ejus vitam conservet, non censetur ei cooperari, quamvis fur fortè è periculo elapsus, aliquando damnum aliis sit illaturus: nam damnum illud est merè casuale respectu occultantis, & præter ejus intentionem; illa enim actio per se solum ordinatur

ad

ad eripiendum miserum hominem ex præsen-  
ti periculo vitæ, vel pœnæ corporalis: secus,  
si furem ita occultaret, ut spem refugii impo-  
sterum daret, qua fur fidens furta continuaret.

## §. VI.

*De Participante.*

*Resp.* **D**upliciter quis participans dicitur 1.  
qui solum particeps est prædæ; &  
hic tenetur restituere tantum partem, quæ ei  
obvenit; nam quo ad illam duntaxat fecit in-  
juriam Domino, rem ejus injustè accipiendo.  
2. Qui particeps est actionis damnosæ, præ-  
bendo auxilium, operam, instrumentum, ad-  
juvando ad executionem, vel explorando;  
& hîc tenetur resarcire damnum pro rata, imò  
totum, si alii non restituant suas partes: nam  
est causa injusta actionis damnosæ, ideóque  
totius damni ex ea orti. L. 21. ff. *de Furtis* &  
caput. 6. *de Homic.* Sic tenentur, qui scalas ap-  
ponit, vel eas sustinet fure ascendente, qui ex-  
cubias agit, qui furem comitatur defendendi  
causâ, qui ad confringendum, & asportandum  
adjuvat, &c. Nec refert, quòd te non juvan-  
te, damnum nihilominus factum fuisset; nam  
eo ipso, quòd adjuvisti, fuisti concausa da-  
mni, quod reverâ sine te non est factum; quare  
participans non solum peccat mortaliter, juxta  
illud Prov. 29. *qui cum fure participat, odit ani-*  
*am suam*, sed etiam tenetur ad restitutionem.

## §. VII.

## §. VII.

*De Causis Negativis.*

*Resp. I.* **E**X communi negativè cooperantes ad damnum, sunt ii, qui non impediunt damnum, cum impedire rationabiliter possunt, & tenentur ex Justitia. Tenentur autem ex Justitia, qui tenentur ratione officii, muneris, vel contractûs; ut Superior, Princeps, Dux belli, Magistratus, bonorum Administrator, Pater, Tutor, Curator, famuli, custodes pecorum, agrorum, &c. & alii stipendio conducti. Non impeditur autem damnum tripliciter. 1. Tacendo, id est, non reprehendendo, non dissuadendo, non prohibendo, non clamando, &c. 2. Non obstando, id est omit-tendo subsidium, custodiam, opem vel operam ad impediendum damnum. 3. Non manifestando damnificatorem Domino, sive ante, ne fiat, sive post damnum factum, ut refarciatur, aut etiam non monendo ipsum damnificatorem de obligatione restituendi.

Itaque ex communi sententia, qui tenentur ex officio, vel contractu, aut quasi contractu impedire damnum alterius, si negligent impedire, peccant contra Justitiam, & tenentur illud refarcire; quia censentur causa moralis, & iniusta damni: nam hoc ipso, quod tenentur ex officio, vel contractu impedire damnum alterius, hic habet Jus, ut damnum eius impediant; ac proinde si negligent impedire, faciunt

ciunt

ciunt ei iniuriam damnosam. Et verò alter damnum patitur ob omissionem operæ ex Justitia debitæ ad illud impediendum, ideóque ob iniustitiam illorum: nam si hi fecissent id ad quod ex Justitia tenebantur, alter non pateretur damnum, quod proinde illis meritò imputatur.

Hinc ad restitutionem tenentur Principes, & Magistratus, & belli Duces, si non impediunt latrocinia, & iniurias subditorum: nam ex Justitia tenentur conservare jura, & bona subditorum: reditus enim, quos habent, sunt stipendia ad hoc instituta: idem dic de Judice & Canonico, qui sine justâ causâ absunt, dum prævident aliquid iniquum esse gerendum, nam ex officio illud impedire, & contradicere tenentur.

*Resp. II.* Qui solùm ex charitate tenetur impedire damnum alterius, si non impediatur, cum sine magno incommodo potest, peccat quidem contra charitatem; sed *ex communi* non tenetur ad restitutionem: quia non peccavit contra Justitiam; nec censetur causa iniusta damni, cum alter non habeat Jus, ut damnum eius impediatur. Secus, si quis positivè conferat ad damnum proximi; is enim teneretur de damno, nam quilibet habet Jus, ne quivis alter ad damnum eius positivè cooperetur, cum habeat Jus, ne ei inferatur damnum, sine iusta causa, & auctoritate.

Hinc ad restitutionem tenetur I. Qui à fure pecu-

pecuniam accipit, ne clamet, ne indicet, vel id promisit gratis, quamvis damnum ex sola charitate impedire teneatur: quia hoc promissio furem animosiores, ac securiores reddit, & sic positivè concurret ad damnum. 2. Qui obligatum ex officio ad clamandum, vel impediendum, quovis modo impedit: nam iniuste impedit usum Juris, quod habet tertius, ut is clamet. 3. Qui clamare, vel obstare volentem, licet ad id ex Justitia non obligatum, impedit per vim, vel dolum; nam quisque habet Jus, ne quis eius defensionem, & bonum impediatur per vim, vel dolum, aliãve viam iniustam.

*Sed ad quid tenentur Custodes agrorum, vinearum, sylvarum, si non impediunt damnum, vel non manifestent damnificatores, ut resarciatur?*

*Resp.* Peccant contra Justitiam, & Religionem: quia agunt contra officium vel pactum, & Juramentum; tenenturque resarcire totum damnum. *Est communis.* nam ex officio, vel pacto tenentur suã custodiã, & delatione Dominum loci illãsum servare.

An autem teneantur restituere multas, quas Domini acciperent ex delationibus, si non deferant? Multi negant; quia, hi custodes constituuntur, non ut Domini locupletentur ex lucro pœnarum; sed ut custodiant rem commissam, & impediunt damnum; nec tenen-

tenentur deferre ad hoc, ut Dominus habeat mulctas, sed solum ut non patiatur damnum. Alii probabilius affirmant; quia videntur constitui tum ut impediunt damna, tum etiam ut deferant damnificatores, præsertim cum id expediat ad avertenda multa damna, quæ alias fierent sublato metu mulctarum: unde non deferendo peccant contra officium, & contractum, vel quasi contractum; sicque tenentur restituere mulctas pecuniarias, quas perciperent Domini ex delatione sibi Jure debita.

## CAPUT V.

*De Circumstantiis Restitutionis, & ordine in ea servando.*

**Q. I.** *Quinam res debet restitui?*

**Resp.** **C**Ei, à quo accepta, vel ablata fuit, modo sit Dominus rei, vel habeat Jus eam detinendi, vel custodiendi, administrandi, &c. vel ea utendi &c. Qualis est conductor, commodatarus, depositarius, & similes: quia illi fieret iniuria, cum habeat Jus rem possidendi, vel detinendi, custodiendi, eam utendi, &c. Res autem aliena ablata furi, restitui debet non furi, sed Domino: quia fur non habet Jus eam possidendi, sed Dominus; admonito tamen fure, ne perseveret in peccato, putans se teneri restituere, vel ne iterum restituat cum suo damno.

**Quòd**

Quod si is, cui restitutio facienda est, mortuus sit, fieri debet hæredibus ejus; quia hi succedunt in omnia jura defuncti. l. 62. ff. de Reg. Jur. & l. 37. ff. de Acquir. vel omit. hæred. ibi: *Hæres in omne Jus mortui, non tantum singularum rerum dominium succedit.* Si autem post diligentem inquisitionem hæredes cognoscere nequeant, debet restitutio fieri pauperibus, juxta dicta de bonis, ac debitis incertis.

*Q. 2. Quo tempore fieri debet restitutio?*

*Resp.* Statim, quantum moraliter fieri potest. *Est communis.* nam præceptum restitutionis est primario negativum, prohibet enim detentionem rei alienæ, vel alteri debitæ invito rationabiliter Domino, & sic obligat semper, & pro semper. Solutio verò debitorum ex contractu fieri debet tempore, de quo inter contrahentes expressè, vel tacitè conventum fuit: eo transacto, si debitor sine justa causa non solvat, iniuriam creditori infert, & tenetur compensare totum damnum hinc obveniens, etiamsi creditor solutionem non exigat, ex l. 12. *Cod. de contrah. stipul.* nam creditor habet Jus accipiendi tunc solutionem: & ipsum tempus præfinitum pro creditore interpellat, c. ult. *de Locat.* si tamen debitor paratus sit tempore constitutoolvere, sed creditor vel absens sit nullo procuratore relicto, vel præsens recipere nolit, tunc debitor non tenetur de damno postea eveniente, nec de pœna statuta.

*Tom. II.*

*M*

*Quod*



Quòd si nullum tempus solutioni debitorum ex contractu expressè, aut tacitè præfinitum sit; tunc debitor non ante censetur esse in mora culpabili, nec tenetur de damno, quàm creditor debitum congruo tempore exegerit. Ita communiter per sensum contrarium, ex l. cit. quia tunc creditor sciens, & valens petere, censetur dilationem concedere non petendo, modo non omitat petere ex metu, vel oblivione.

Porro licet debitori anticipatè solvere debita, si terminus fuerit præfinitus in ejus favorem, ut in mutuo, & commodato: quia quisque potest jure suo cedere; & quia tunc terminus non est appositus, ne solutio anticipatè fiat, sed ne ultra differatur. Secus, si terminus fuit appositus in favorem creditoris: nam fieret injuria creditori habenti Jus, ne sibi fiat solutio ante præfinitum tempus, ex l. 15. ff. de annuis legat.

Q. 3. In quo loco, & cujus impensis fieri debet restitutio?

Resp. 1. Si debitum ortum sit ex injuria, nempe ex injusta acceptione, detentione, vel damnificatione culpabili, restitutio fieri debet impensis debitoris, & in eo loco, ubi Dominus rem suam possessurus erat, si ablata, vel destructa non fuisset. Ita commun. quia restitutio ob injuriam ita fieri debet, ut Dominus in eum statum restituatur, in quo fuisset, si  
nulla

nulla injuria illata fuisset, & omnino indemnis  
 fervetur: alioqui non reponeretur æqualitas,  
 nec integrè tolleretur injuria. Quare si Do-  
 minus aliò migravit, & rem suam secum trans-  
 laturus erat, si habuisset; restitutio ei debet  
 fieri ubi nunc degit impensis debitoris, dedu-  
 ctis sumptibus, quos in ea re secum asportan-  
 da facturum fuisset. Nec excusatur debitor,  
 etiamsi omnibus spectatis damnum, quod ex  
 sumptibus, vel aliunde patietur, sit duplo ma-  
 jus illo, quod Dominus pateretur, si ei non  
 restituere, spectata, paupertate, & necessita-  
 te utriusque. Ut si debeat centum ex delicto,  
 nec possint reddi nisi adhuc alia centum im-  
 pendendo: quia magis æquum est, ut delin-  
 quens patietur damnum illud, & amittat cen-  
 tum ex bonis suis, quàm quòd creditor inno-  
 cens cogatur idem damnum pati; nam in pa-  
 ri damno melior est conditio innocentis, seu  
 injuriam passi, quàm nocentis, qui sibi inapu-  
 tare debet damnum illud, cum sit ejus causa  
 per injuriam. *Vasquez, De Lugo, &c.* Si tamen  
 restituere non possit, nisi faciendo impensas  
 duplo longè majores, quàm res valeat, potest  
 differre restitutionem, donec illam absque  
 tanto suo detrimento facere queat, vel mone-  
 re creditorem, ut significet quid de re illa fieri  
 velit. Quòd si monere nequeat, & pruden-  
 ter judicet nunquam aliter posse fieri restitui-  
 tionem, juxta multos potest, ac debet resti-  
 tuere ejus consanguineis, vel pauperibus:

quia creditor non est tunc rationabiliter invitatus; & alioqui magna esset inæqualitas, si debitor restituere deberet cum quibuscumque sumptibus. Quisque tamen tenetur causam damni à se injustè positam tollere, & damna injustè illata restituere cum suo damno æquali, atque etiam saltem paulò majore: nam justum non est, ut innocens damnum injustè sustineat, ne is, qui illud injustè tulit, æquale, aut paulò majus damnum patiatur in illo impediendo, & refarciendo.

*Resp. II.* Quæ debentur ex re accepta bona fide extra contractum, restitui debent in loco, ubi habentur; nec debitor tenetur ea impensis suis mittere Domino, sed impensis Domini. Ita omnes; quia possessor bonæ fidei non tenetur cum suo damno Dominum in pristinum statum restituere, cum eum per injuriam non deturbaverit. Igitur debet solum repræsentare rem ubi illam habet, & custodire, monito interea Domino, ut significet, quo pacto velit rem sibi suis sumptibus remitti. Imò ipse Dominus tenetur non solum ad impensas rei remittendæ, sed etiam custodiendæ necessarias, L. 2. ff. de Negot. gest.

*Resp. III.* Quæ debentur ex contractu, in quo res eadem numero restituenda est, si in alterius tantum partis utilitatem accepta sint, debent ejus impensis restitui, nisi justâ pactio-  
ne aliter conventum sit: quia æquum non est, ut res ex contractu debita restituatur impensis  
illius

illius, cuius commodum in eo quæsitum non est, nec ut quis damnum ex Beneficio collato pati debeat. Econtra par est, ut qui sentit commodum, sentiat & onus *Reg. Jur. 55. in 6.*

*Resp. IV.* Quæ debentur ex contractu restitui debent ex natura contractûs in eo loco, ubi res accepta fuit. *Ita multi.* quia nullus locus magis justitiæ congruit; & æquitas postulat, ut sicut res eadem accepta, vel alia æquivalens, quæ loco acceptæ substituitur, restituenda est, ita etiam restituatur in eodem loco, ubi accepta fuit, cum restitutio sit repositio rei in pristino statu. Hinc ex natura contractûs teneris reddere mutuum, depositum, rem locatam, in loco ubi accepisti, non alibi nisi impensis alterius. Item ex natura contractûs debes solvere pretium rei emptæ, vel locatæ in loco, ubi res traditur, pro qua solvendum est. Nam in quocunque alio solutio fiat, deficere potest æqualitas contractûs: hæc enim desumitur ex æqualitate dati, & accepti, quæ dependet multum à loco, in quo datur, & accipitur: quia valor rei, vel usus illius, & æstimabilitas pretii, ac pecuniæ variatur ex varietate loci. *De Eugo.* Possunt tamen contrahentes de alio loco pacisci, modo hoc onus justa mercede compensetur, ut servetur æqualitas. Et tunc ibi restitui debet: nam pacta justa obligant, & contractus ex conventionem legem accipiunt, ex *Reg. Jur. 35. in 6.*

M 3

*Resp. V.*

*Resp. V.* Quæ debentur ex donatione, legato, testamento, tradi debent in loco ubi erant, cum donarentur (nisi aliud in ipsa dispositione expressum sit) & impensis ejus, cui donata sunt. *Ita omnes.* nam qui rem gratis dat, vel legat, non intendit se ad amplius obligare. Si tamen hæres eam alio transferret, teneretur suo sumptu illam remittere in locum ubi erat prius. *Ita Lessius.*

*Q. 4. Cujus periculo fieri debet restitutio?*

*Resp. I.* Restitutio faciendâ ratione injuriæ, fit periculo debitoris. *Est communis.* quia ratione injuriæ tenetur Dominum prorsus indemnem servare, & sic debet subire omne damnum, ac periculum: Dominus enim nullum debet pati damnum ex injuria sibi illata. Et quia *culpa præcedente casus etiam fortuitus imputatur.* c. ult. de Depos.

Hinc *ex communi,* si debitor adhibitâ maximâ diligentiam rem nuntio, quem putat fidelem, vel Confessario tradat restituendam Domino, & hi sive culpate, sive inculpate rem Domino non reddant, tenetur iterum ad idem restituendum, donec re ipsa Dominus accipiat. Quod si pluries idem restituere tenetur, id fit per accidens, & sibi imputare debet, nam *Damnum quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Reg. Jur. 86. in 6.

Restitutio autem rei alienæ in individuo faciendâ à possessore bonæ fidei, fit periculo Domini, modò possessor eam remiserit per  
homi-

hominem, quem prudenter judicabat esse red-  
diturum, ex L. 20. ff. *Commodat.* quia seclusis,  
culpâ, morâ, & pacto, res perit Domino.  
Hinc restitutio rei commodatæ, locatæ, de-  
positæ, fit periculo Domini, si nulla interve-  
niat culpa restituentis.

*Resp. II.* Ex communi, solutio debitorum  
ex contractu facienda ex bonis debitoris, ejus  
periculo fit, ita ut si pecunia eorum solutioni  
destinata surripiatur, vel ab eo, cui restituen-  
dam commisit, amittatur, aut retineatur, ipse  
teneatur aliam dare creditori: quia res perit  
Domino, & res Dominus pecuniæ tuæ, donec  
creditori tradatur; tunc enim solum à te in il-  
lum transfertur dominium. Nisi tamen cre-  
ditor miserit, vel designaverit hominem cer-  
tum, cui pecuniam committas; hic enim ac-  
cipit loco creditoris, sive creditor censetur  
accepisse per designatum. Quare si hic pecu-  
niam amittat, vel retineat, damnum est cre-  
ditoris, non tuum, l. 39. & 49. ff. *de Solut.*

*Q. 5. Quo ordine restituendum est?*

*Not.* Quando bona debitoris in solutionem  
omnibus creditoribus sufficiunt, non est opus  
ullo ordine, cum omnibus satisfaciendum sit.

*Resp. I. Ex communi,* quando res aliena ex-  
tat in se, restitui debet Domino, nec potest  
aliis in solutionem dari: quia debitor debet  
solvere ex bonis propriis, non alienis: nam  
rei dominium nequit transferri ab eo, qui il-

Iud non habet. Unde si ignoretur Dominus rei in se extantis, commodatæ, depositæ, ablatae, &c. vel ejus hæres, hæc impendi debet in pauperes, vel alia pia opera juxta dicta.

Res autem credito vendita extans apud debitorem non videtur reddi debere venditori præ aliis creditoribus, si is aliunde non habeat jus prælationis. Ita multi præsertim Juris periti, qui apud Covarruviam asserunt, hanc esse communem: quia res vendita non est amplius venditoris, secutâ traditione, & habitâ fide de pretio ejus; nam tunc translatum est ejus dominium; neque manet illi obnoxia jure hypothecæ: nulla enim inducitur hypotheca, nisi vel ex conventionem, vel jure positivo, & nulla ex hoc utroque capite reperitur inducta. Et verò si illa res ab emptore alteri revendita esset, hic haberet dominium in eam omnino liberum.

*Resp. II.* Ex bonis debitoris r. Prius solvi debent impensæ pro funere debitoris; l. Penult. ff. de Religios. & sumpt. funeris. item pro curatione ejus.

2. Ex communi, prius solvenda sunt debita certa, id est quorum cognoscitur creditor, quam incerta, id est quorum creditor ignoratur. Tum quia creditor incertus, cum nequeat per se immediate recipere rem debitam, non est rationabiliter invitus, ut ipsi præferatur creditor certus, qui immediate damnum pateretur ex omissione restitutionis, quippe  
habet

habet jus immediatum, ac determinatum exigendi solutionem, quod pauperes, aut alia causa pia, non habent circa debita incerta; cum ista possunt in hos, vel illos usus pios impendi: tum maxime quia in hoc creditor incertus consentire merito praesumitur, cum sit opus pium, ac Deo gratum subvenire debitori indigenti, & gravato aere alieno, ut possit se liberare a creditoribus certis eum prementibus, remanente onere postea debita incerta solvendi pauperibus, cum facultas aderit.

3. *Ex cummuni*, debita ex titulo oneroso prius solvi debent, quam debita ex titulo gratuito, v. g. liberali promissione, vel legato, ex l. 19. ff. de Re judic. ibi. *Qui ex causa donationis convenitur, in quantum facere potest, condemnatur, & quidem is solus deducto aere alieno*, quia in pacto gratuito, & legatis subintelligitur conditio, *Si absque tertii damno fieri possit: nisi status rerum mutetur*. Deinde nemo censetur se ex sola sua liberalitate velle obligare in casu, quo ad egestatem redigeretur, nec aequitas id patitur. Hinc debita defuncti solvi debent ante omnia legata, etiam pia. Idem dic de votis, quia Deus non acceptat illa cum detrimento tertii. Vota tamen solvenda sunt ante legata: quia vota obligant defunctum, non legata, quae supponunt solutionem aliorum debitorum contractorum.

4. Solvendum est creditoribus hypothecam habentibus ante alios, qui non habent, l. 19. Cod. *Qui pot. in pig.* nam bona sunt specialia-



cialiter obligata solutioni hypothecariorum, qui proinde jus speciale habent, ut ex iis solutionem recipiant præ aliis.

5. Inter creditores hypothecarios prius solvendum est iis, qui priores sunt tempore, juxta Reg. Jur. § 4. in 6. *Qui prior est tempore, potior est jure.* nam obligatio posterior non potest tollere jus alteri jam acquisitum. Unde in ea intelligitur hæc conditio, *si sine damno prioris creditoris poterit ex eadem re cæteris satisfieri.* Sunt tamen aliqui casus, in quibus posterior tempore præfertur priori hypothecario. 1. Si pecuniam mutuavit ad conservationem, vel refectionem rei, quæ alteri obligata erat, l. 5. ff. *Qui potiores in pign.* nam huic damnum non infertur, cum sine hac mutatione res hypothecata periisset, vel deterior facta fuisset. 2. Si mutuavit tibi, v. g. centum, ut satisfaceres pro mercium vecturâ, vel pro locatione ædium, in quibus asservarentur, debeo ex illis solutionem accipere ante alios in illis hypothecam habentes, l. 6. ff. eod. tit. 3. Est hypotheca dotalis, per quam bona mariti sunt obligata uxori, ejusque liberis, ita ut ex illis bonis dos deduci possit ante alios creditores habentes tacitam hypothecam priorem, l. 12. C. *Qui pot. in pign.* Sed ex comuni, dos non præfertur hypothecæ expressæ priori, licet præferatur expressis posterioribus: tum quia creditores anteriores iniquè per nuptias supervenientes privarentur jure suo, quòd ex-  
pref-

presè pacti fuerant: tum quia fiscus, & dos  
 æquantur in jure, & tamen fiscus non præfer-  
 tur hypothecis anterioribus expressis, l. 8. ff.  
*Qui potior in pig.* & l. 4. Cod. cod. tit. 4. Cum  
 ex pecunia Pupilli, vel minoris res aliqua em-  
 pta est, res illa manet Pupillo obligata ante  
 omnes l. *Senul. cod. de seruo pignori dato.* 5.  
 Si credam tibi pecuniam ad emendam rem ali-  
 quam cum pacto expresso, ut res illa maneat  
 mihi hypothecata pro debito, præferat aliis  
 hypothecam generalem habentibus in omni-  
 bus bonis tuis etiam futuris, l. 7. Cod. *Qui pot.*  
*in pig.* nam nulli creditori intertur damnum:  
 debitor enim sine mea pecunia mutuata non  
 haberet illam rem, vel ejus valorem. 6. Cum  
 quis cum fisco contraxit, manent ejus bona  
 fisco obligata, cum privilegio Prælationis.  
 Idem jus habet fiscus ratione tributum nondum  
 soluti, l. 2. Cod. *De Privileg. Fisci.* 7. Cum  
 quis alicui pecuniam ad militiam mutuat, ha-  
 bet hypothecam cum privilegio Prælationis  
 etiam ante dotem, licet sit posterior dote; quia  
 in his duobus ultimis casibus spectatur bonum  
 commune, quod privato præferri debet.

6. Post creditores hypothecarios, seu rea-  
 les solvendum est aliis creditoribus persona-  
 libus non habentibus hypothecam; inter hos  
 primo loco solvendum est iis, qui habent per-  
 sonale privilegium Prælationis; quale habet  
 sponsa in bonis sponsi ratione dotis traditæ,  
 non secuto matrimonio; & qui deposuit pe-  
 cuniam

pecuniam apud nummularium, non percipiens inde usuras; item qui pecuniam credidit ad navem exstruendam, instruendam, emendam, &c.

Secundo loco solvendum est aliis creditoribus ex titulo oneroso cuique pro rata, v.g. media, vel tertia pars debiti, sive debitum ex contractu, sive ex delicto contractum sit; nam secundum multos inter hæc debita nulla est prælatio, cum sint æquè debita ex iustitia sine ullo privilegio. Item juxta multos inter alios creditores merè personales nulla est prælatio, sed cuique pro rata solvi debet, ex l. 6. Cod. *De bonis auctoꝝ*. §c. & l. 17. ff. *De privil. credit.* ibi. *Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa: Et si ejusdem tituli fuerint, concurrunt, licet diversitates temporis in his fuerint.* quia omnes æquale jus habent. Et illa regula: *Qui prior est tempore, &c.* valet solum inter hypothecarios.

*Not.* Quæ hæctenus de ordine restitutionis dicta sunt ex jure communi, seu Casareo, ea servanda sunt ubi, & quatenus illud receptum est. Quòd si in aliquibus locis sint hæc de re aliæ leges, vel consuetudines rationi consentaneæ, servandæ sunt etiam in foro conscientia, ut docet communis sententia; nam hæc leges non nituntur falsa præsumptione: at omnis lex rectæ rationi consentanea, quæ non nititur falsa præsumptione, obligat in conscientia,

entia, cum sit actus efficax, & absolutus potestatis obligativæ.

*Q. 7. An prius petenti licet prius solvere?*

*Resp. I.* Non licet creditori prius petenti solvere cum damno ejus, qui habet hypothecam priorè, vel privilegium: quia huic fieret injuria, cum habeat jus prælationis. Unde solvens tenetur ei de damno, & ipse potest recuperare ab alio creditore id, quod solutum est, l. 22. Cod. de Jure deliber. qui si solutionem petiit, vel accepit, sciens jus aliorum, peccavit contra justitiam, & tenetur ante sententiam judicis restituere aliis creditoribus privilegiatis: quia fecit illis injuriam damnosam; nam petendo induxit debitorem ad damnum injustum inferendum creditoribus hypothecariis, & solutionem recipiendo cooperatus est injustæ damnificationi illorum.

*Resp. II.* Si unus ex creditoribus personalibus non privilegiatis exigat in judicio solutionem debiti ante alios non habentes jus prælationis, tenetur debitor ei integrè solvere, etiam si tempore esset posterior: quia lex, & sententia Judicis dat ei jus prælationis ob diligentiam, quam adhibuit ante cæteros, l. 6. & 24. ff. Quæ in fraud. credit.

Dixi, in judicio, nam si extra judicium petat, controversitur: asserunt, Sylvest. Nav. Lessius & alii, quia diligentia posterioris creditoris petentis facit eum potiores, & quia in l. 24. cit.

24. cit. dicitur non posse revocari id, quod solutum est uni creditori debitum exigenti, nullâ factâ mentione iudicii; & hæc ratio additur, quia vigilando meliorem suam conditionem fecit. Alii cum De Lugo negant, quia sola petitio privata sine sententia iudicis non potest dare jus uni in detrimentum aliorum æquale jus habentium; & leges supra dictas intelligunt de petitione in iudicio accedente sententia iudicis.

*Sed si debitor non valens solvere omnibus creditoribus, solverit uni creditori non habenti jus prelationis, an hic tenetur restituere alteri creditori habenti tale jus?*

*Resp. Aff.* Quia accipiendo solutionem, impedit alterum à recipienda solutione sibi prius iure debita, & sic facit ei iniuriam damnosam. Et tunc violatur non solum ordo, sed etiam substantia restitutionis; nam quod uni ex iustitia debitum est, solvitur alteri. Deinde accipiens cooperatur dationi iniustæ, & damnosæ alteri, seu damnificationi iniustæ creditoris, cui hæc pecunia prius debetur, & detrahitur: quænam enim maior cooperatio dationi iniustæ esse potest, quàm acceptio, quæ illam perficit, & complet, & sine qua nullum pariter damnum? sed qui cooperatur actioni iniustæ, & damnosæ, tenetur ad restitutionem. Ita Azor, De Lugo, & alii.

Q. 83

Q. 8. *An debitor potest solvere totum debitum creditori non petenti, si ipse non sit solvendo aliis, qui pariter non habent hypothecam, nec privilegium?*

Resp. Neg. Quia faceret injuriam aliis, qui Jus habent, ne alter carens privilegio, & actione ipsis præferatur: nam, spectato jure naturali, bona debitoris, quæ omnibus debitis solvendis non sufficiunt, sunt pro rata secundum proportionem dividenda creditoribus æquale Jus habentibus, & quorum nullus habet Jus prælationis: nam sunt æqualiter iis debita. Multi excipiunt, si unus creditor sit in gravi necessitate, non alii; quia debitus ordo charitatis exigit, ut præferatur aliis, qui cum non ita indigeant, non sunt rationabiliter inviti.

Q. 9. *An qui aliquid gratis, vel cum onere accipit ab eo, quem scit exinde reddi impotentem ad solvenda debita, peccat contra Justitiam, & tenetur accepta restituere, licet eum ad id non induxerit?*

Resp. Aff. Est communis. teste De Lugo. Prob. Quia talis injuriam infert creditoribus, nam cooperatur injusto impedimento, quo debitor reddit sibi impossibilem solutionem: sive concurrat efficaciter ad injustam alienationem, & injustitiam contra creditores à debitore admissam: quælibet enim alienatio ad sui valorem, & efficaciam requirit acceptationem.

nem. Et verò (ut ait De Lugo) ad damnificationem creditorum non minus conditio acceptatio tua, quàm inductio: si enim tu non acceptares rem, maneret adhuc apud debitorem, & ipse non esset impotens ad solvendum; ergo per acceptationem non minus, quàm per inductionem cooperaris ad damnum, quod creditoribus infertur. Imò tu completes, & perficis illud, quod per oblationem debitoris solum erat inchoatum, & quasi in affectu, per acceptationem verò perficitur, & ponitur in effectu.

## CAPUT VI.

*De Causis excusantibus à restitutione,  
vel ejus dilatione.*

**Q. I.** *AN remissio creditoris excusat à restitutione?*

*Resp. Aff.* Si sit legitima: quia per illam condonatur jus exigendi, & accipiendi solutionem: ac proinde tollitur in debitore obligatio solvendi, quæ postea non redit; nam obligatio semel extincta minimè reviviscit, L. 9. Cod. De remiss. pig. Deinde sicut creditor potest jus suum, quod habet in debitorem, alteri donare, ita etiam ipsi debitori, potest remittere; nam remissio est quædam donatio. Ut autem hæc remissio sit legitima, & verè liberet

beret à restitutione, tres conditiones requiruntur.

1. Ut remissio sit perfectè voluntaria, nec habeat mixtum involuntarium; quia est liberalis donatio sui Juris, ideóque actus liberalitatis, qui necessariò procedere debet ex spontanea, ac liberali voluntate. Hinc nulla est remissio facta ex errore, vel ignorantia, utpotè voluntarium tollente: aut vi, metu, vel fraude extorta, ob involuntarium mixtum, & injuriam; nemo quippe ex sua injuria Jus, & commodum reportare potest. Metu censetur extorta, si debitor expressè, vel implicitè minetur creditori, nisi remittat, vel totum, vel partem; aut si adhibeat preces valde importunas incutientes metum, aut significet, nisi contentus sit parte debiti oblata, & residuum remittat, omnia amissurum; item si cogat creditorem subire multas molestias in petendo debito, sæpè venire, frustra diu expectare, &c. Fraus esset, si debitor fingeret se longè pauperiorem, quàm reverà sit, &c.

Hinc invalida est remissio partis debiti facta ex metu amittendi totum creditum culpâ, vel fraude debitoris. Nec liberantur potentes, quibus inferiores remissionem concedunt ex metu, ne iis displiceant, vel ab iis damnum patiantur.

2. Ut creditor possit condonare debitum: non enim potest condonare, nisi qui potest donare. Hinc Filiusfamilias non potest re-



mittere debita Paterna, sicut nec procurator, vel commissarius, quæ debita sunt Domino, vel committenti, &c.

3. Ut condonatio non sit à jure annullata, prout est in iis casibus. 1. Si visitantes Ecclesias, accipiant aliquid ab iis præter necessaria ad victum pro illis diebus, quibus visitant, tenentur restituere duplum intra mensem, non obstante quacumque remissione iis sponte facta à dantibus, cap. 2. de Cens. in 6. 2. Si Judex delegatus aliquid acceperit à partibus, nisi fortè esculentum, aut poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis diebus possit consumi, vel si dum cogitur extra domicilium proficisci: acceperit plusquam moderatas impensas; vel si denique acceperit aliquid pro impensis, dum partes sunt pauperes, tenentur accepta restituere, non obstante remissione, cap. 11. de Rescript. in 6. 3. Si Inquisitores prætextu officii inquisitionis pecunias extorserint, tenentur restituere nullis remissionibus super hoc valituris, Clement. 2. de Hæret. in 6. 4. Si Canonicus, qui non interest officio, acceperit distributiones. Trid. sess. 24. Cap. 12.

Q. 2. An cessio bonorum creditoribus facta liberat à restitutione?

Resp. Neg. Sed solùm excusat à dilatione, ita ut debitor teneatur debita integrè solvere ex iis, quæ postea acquirit, retentis necessariis ad

ad suam, & suorum sustentationem parcam.  
*Est Communis.*

Prob. i. ex Jure Civili, L. i. Cod. *Qui bonis cedere possunt.* ibi: *Qui bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati: in eodem enim tantum, modo hoc Beneficium (cessionis) eis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem. & ex l. 4. ff. de Cess. bon. Is qui bonis cessit, si quid postea acquisierit, in quantum facere potest convenitur.* 2. Quia in foro conscientiae per necessitatem, & impotentiam non tollitur, sed solum suspenditur obligatio restituendi, donec facultas adsit: ergo nec cessio plus praestat. Igitur cessio bonorum hoc solum praestat, ne debitor possit conjici in carcerem, ex cit. l. & ne, si post cessionem aliquid acquirat, possit eo spoliari, si eo indigeat ad suam, vel suorum sustentationem, ex L. 6. ff. de Cess. bon. quod etiam valet in foro conscientiae, cum sit privilegium jure concessum, & contractus juxta leges celebrentur; sed de residuo tenetur debita solverē.

*Q. 3. An ingressus in Religionem liberat à restitutione?*

*Not.* Apud omnes constat validam esse professionem hominis debitis gravati; quia persona ejus est libera; nec Jure positivo irritatur, ut declaravit, Clemens VIII. quoad hoc punctum abrogans quod Sixtus V. statuerat.

N 2

Utér-

Utérque autem Pontifex prohibuit, ne in Religionem recipiantur ære alieno gravati.

*Resp. I.* Si debitor habeat bona, tenetur ante ingressum restituere; nam nullam habet justam differendi causam.

*Resp. II.* Secundum multos, si debitor possit breviter tempore, v. g. paucis annis, consuetis laboribus solvere debita saltem magna ex parte tenetur differre ingressum, ut ea solvat; quia alioqui creditores essent rationabiliter invitati; & sic injuriam iis inferret.

*Resp. III.* Si debita sint incerta, ideóque in pia opera impendenda, debitor potest religionem ingredi, licet manens in sæculo possit solvere. *Id supponunt omnes.* quia poterit saltem ex consilio Confessarii, ea sibi tanquam pauperi applicare ad opus Deo gratum, & meritorium, ut nempe possit ingredi religionem.

*Resp. IV.* Si debitor non possit debita solvere, nisi longo tempore, vel insolitis laboribus, secundum multos potest licitè religionem ingredi, relictis omnibus bonis suis creditoribus: quia in hoc casu debitor pateretur damnum in bonis spiritualibus longè majus, quàm sit commodum creditorum: unde hi non sunt rationabiliter invitati.

Alii tamen non pauci id negant, tum quia jure naturali talis debitor tenetur ex justitia restituere, ideóque injuriam inferret, si voluntariè se impotentem reddat ad solvendum:

obli-

obligatio autem justitiæ prævalet consilio. Tum quia stuprator Virginis sub promissione matrimonii tenetur ab ingressu Religionis, ut promissioni onerosæ satisfaciatur. Et hæc sententia, teste Layman, fuit approbata à Sixto V. & Greg. XIV.

*Q. 4. An si debitor immemor sui debiti tantum donet creditori, quantum ei debet, excusatur à restitutione?*

*Resp. Neg.* Quia liberalis, & gratuita donatio nec est, nec potest esse solutio necessaria debiti ex justitiâ; cum hæc inter se pugnent. Nec refert quòd si debitor debiti sui meminisset, gratis non donasset; nam actualis dispositio voluntatis, non autem conditionalis seu conditionatè futuræ, attendenda est, & operatur in pactis: nam quòd non existit actu, nihil efficere potest. Si autem debitor memor debiti tantum donet animo se liberandi, quamvis putetur liberaliter donare, satisfacit debito, &c.

*Q. 5. An debitor liberatur à restitutione, si creditori sui creditoris solvat, quod debet?*

*Resp.* Multi affirmant, modò debita utriusque sint ejusdem naturæ, nec sint alii priores creditores privilegiati, aut hypothecarii. Quia, inquit, solvendo Fratri meo centum quæ illi debes, emo, & acquirò jus, quod habebat exigendi à te centum: at jus quod ha-

Deo in tetanti valet, quanti illud, quod tu habes in me. Sed hæc ratio non omnes convincit; & certè id non licet invito creditore: nam creditor habet jus exigendi, & accipiendi id, quod ei debetur, & debitor habet obligationem solvendi suo creditori id, quod ei debet; nec debitoris est creditoris sui debita solvere. Et verò in foro externo cogar iterum solvere tibi, nisi meâ causâ factus sis debitor alteri, ut si gerens mea negotia mutuum ab illo acceperis, vel nisi ob rem alterius debitum contraxerim, ut si conduxisti à te domum, quam tu ab illo conduxisti.

*Q. 6. An excusatur à restitutione, qui non potest restituere, nisi per bona superioris, vel inferioris ordinis?*

*Not.* Bonorum naturalium triplex est ordo. In supremo ordine sunt vita, membra, sanitas, virginitas, libertas: in medio honor, & fama: in infimo divitiæ, & res pecuniâ æstimabiles.

*Resp. I.* Ex communi, debitor non tenetur restituere cum jactura bonorum superioris ordinis, quæ in æstimatione prudenti sit longè majus detrimentum, quàm damnum compensandum. Tum quia creditor non est tunc rationabiliter invitus: tum quia restitutio fieri debet, ut servetur æqualitas: ergo non obligat debitorem, ut longè gravius detrimentum patiatur, quàm sit detrimentum creditoris. Sic per se loquendo non teneris cum jactura propriæ

priæ vitæ restituere famam æqualis tui, vel vendere libertatem tuam, ut debita solvas.

At restitutio fieri debet cum jactura bonorum superioris ordinis, si bona inferioris ordinis restituenda ex circumstantiis censeantur prudenti judicio prævalere, aut æquivalere bonis superioris ordinis amittendis, ita ut damnum bonorum superioris ordinis æstimetur minoris, vel non multo pluris, quàm damnum boni ordinis inferioris. Nam tunc æqualitas reponenda id exigit; & alioqui creditor esset rationabiliter invitus, cum nulla adsit causa, seu justa excusatio non restituendi. Sic si ad restituendam famam, vel magnam pecuniæ summam necessarius sit labor cum periculo morbi faciliè sanabilis, tunc cum hoc periculo restitui debet, ut notat De Lugo.

Porrò bonum inferioris ordinis, sed maximi momenti, vel in magna quantitate, potest moraliter, seu in æstimatione morali, & quoad usus humanos, prævalere, aut æquipollere bonis superioris ordinis, sed ex g<sup>o</sup> momenti, vel in parva quantitate: quemadmodum argentum in magna quantitate plus valet, quàm aurum aliquod exiguum, licet aurum ex naturâ suâ sit pretiosius argento, & in specie superiori. Sic etiam licet fama ex genere suo sit majus bonum, quàm divitiæ, tamen spectatis circumstantiis in certis casibus hæc illi præponderare possunt in æstimatione humana, si nempe sint ingentes, & fama exigui mo-

menti, qualis est fama personæ suspectæ, vel vilis admodum conditio, quæ parvi æstimator. *Ita multi.*

*Resp. II.* Controvertitur an restitutio fieri debeat per bona inferioris ordinis, v. g. per pecuniam pro damno in bonis superioris ordinis, v. g. pro damno vitæ, membri, famæ, si aliter damnum resarciri nequeat. Multi affirmant. *Adrian. Cajet. Sot. Azor, Molina, Valentia, Rebellus, Grandin, &c.* Quia I. S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. docet. *Quando id, quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est, puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecuniâ, vel in aliquo honore, consideratâ conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri.* & ad 2. *Si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut & in aliis dictum est.* 2. Damnum omne injustè illatum resarciri debet quantum & eo modo, quo potest; nec impotentia restituendi ad perfectam æqualitatem liberat debitorem ab obligatione solvendi id, quod potest; justitiæ enim commutativæ est non modò reddere justum, quatenus est æquivalens, sed etiam quantum possibile est, sive in eodem, sive in diverso genere. Deinde non est universim verum, quòd bona superioris ordinis non possint in æstimatione morali, & in ordine ad usus humanos, aliquo modo compensari bonis ordinis inferioris: sic enim

enim defectus formæ compensatur per divitias; item homines libertatem pecuniâ vendunt, & vitæ incolumitatem exponunt pro stipendio. Et verò bona corporis, famæ, & fortunæ in hoc conveniunt quòd sint bona naturalia, & utilia; estque homini naturaliter optabile, ut si carendum sit uno genere mediorum, abundet saltem mediis alterius generis. Farentur quidem vitam, & membra non cadere sub commutationem, & commercium civile: at negant inde sequi non deberi in conscientia compensationem pro damno in illis illato; dicuntque pecuniam non dari tunc ut pretium vitæ, membri vel famæ, sed ut compensationem damni vitæ, membri, vel famæ. Hinc concludunt pro mutilatione, deformatione, vel alio damno corporis infra mortem, vel pro fama, quæ reparari nequeat, fieri debere regulariter aliquam restitutionem in pecunia arbitrio prudentis. Pro damno autem vitæ debere fieri compensationem, vel in pecunia hæredibus occisi eroganda, si certò constet occisum decessisse in statu peccati; vel si hoc non constet, ei applicando tantam partem satisfactionum propriarum, quantam Deus novit sufficere in compensationem vitæ: nisi tamen reus pœnam talionis subeat, nam tunc fit compensatio vitæ ablata, juxta illud *dentem pro dente*, &c. licèt remaneat obligatio compensandi alia damna. Alii multi hanc obligationem negant. *Covar. Navar. Gomez, Le-*



desine, Lessius, De Lugo, Sanchez, &c. Quia 1. ex l. ult. ff. De his qui effuderit Cicatricum, aut deformitatis nulla fit estimatio, quia liberum corpus nullam recipit estimationem. & l. 1. In homine libero nulla corporis estimatio fieri potest. Ergo vita, & membra hominis non sunt pretio æstimabilia, & compensabilia. 2. Bona superioris, & inferioris ordinis non sunt inter se commensurabilia, nec commutabilia. 3. Ex S. Thom. q. 62. a. 2. Restitutio est actus justitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit. At æqualitas inter bonum superioris, & bonum inferioris ordinis nequidem in parte esse potest; alioqui bonum inferioris ordinis posset tandem per sui incrementum adæquare ex toto aliud. 4. Justitia non obligat ad restitutionem, nisi res ablata reddi possit in se, vel in æquivalenti, sive ex toto, sive ex parte. At bonum superioris ordinis non potest reddi in æquivalenti, etiam ex parte, per bonum inferioris ordinis; alioqui hoc per sui incrementum posset illud tandem exæquare. Jam verò, inquiunt, qui nec in toto, nec in parte restituere potest bonum injustè ablatum, excusatur ob impotentiam. Fatetur tamen Lessius fieri posse, ut sit obligatio ex charitate ad aliquam compensationem pecuniariam pro damno membri, vel vitæ, &c. Si nempe læsus sit pauper, vel occisi uxor, ac liberi sint pauperes, & non putentur mœrorem aliter deposituri; læsor verò eam sine gravi incommodo præstare possit. Prior

Prior sententia videtur probabilior. Ad fundamentum oppositæ

*Resp.* Licet vitæ, & membra hominis liberi non sint pretio æstimabilia, nec bona superioris, & inferioris ordinis sint commutabilia ad æqualitatem; tamen damnum in his bonis illatum potest aliquo modo, nempe in ordine ad usus humanos, compensari pecuniâ, quæ non datur ut pretium vitæ, vel famæ, sed ut compensatio damni vitæ, membri, vel famæ, & ut tollantur effectus hujus damni, nempe mœror, dolor animi, & alii. Et quamvis bonum superioris ordinis non possit reddi in æquivalenti etiam ex parte, si secundum se spectetur, tamen ejus carentia potest aliquo modo compensari quoad usus humanos: sic defectus formæ, vel nobilitatis compensatur divitiis, sic libertas pecuniâ venditur. Justitia autem obligat ad compensandum damnum eo modo, quo fieri potest saltem quoad usus humanos, si non possit quoad bonum abiatum.

*Q. 7. Quanam sunt causæ justæ differendi restitutionem, vel solutionem debiti?*

*Resp. I.* Generatim id omne, quod facit, ut Dominus, vel creditor non sit rationabiliter invitatus circa dilationem, est causa justa, propter quam licet differatur restitutio: quia sola detentio rei alienæ, vel alteri debitæ injusta prohibetur. At detentio non est injusta, nisi sit con-

sit con-

fit contra voluntatem rationabilem Domini, nam omnis iniustitia est contra rectam rationem, ac proinde detentio, quæ non est contra rectam rationem, non est iniusta.

*Resp. II.* Ex communi sententia, multiplex est causa, ob quam licet differtur restitutio quamdiu ipsa durat, quas tradit S. Antonin. p. 2. tit. 2. cap. 8.

1. Est extrema necessitas tua, vel tuorum, vel proximi, cui aliter subvenire non potes, quam rem alienam, vel alteri debitam impendendo: quia in tali necessitate omnia, saltem quoad usum, sunt communia, transactâ autem hac necessitate teneris restituere, nam obligatio restituendi prius contracta non extinguitur ob supervenientem necessitatem, sed tantum suspenditur. Porro qui potest partem solvere, ad id tenetur: nam non habet justam causam non solvendi eam, & quoad eam Dominus esset rationabiliter invitus.

2. Est gravis necessitas tua, vel tuorum, quos sustentare teneris, nisi tamen creditor sit in pari necessitate: quia tunc creditor non potest rationabiliter exigere solutionem; cum ipse teneatur proximo gravi necessitate laboranti opitulari, vel donando, vel saltem mutuando. Quod si creditor sit in pari necessitate, ex communi, ei satisfieri debet; quia tunc esset rationabiliter invitus, quod ei non restituas, cum ex ordine charitatis possit, cæteris paribus, sibi potius, quam debitori velle con-

consulere; sitque melioris conditionis, utpote possidens jus exigendi solutionem ex justitia debitam, nec extra necessitatem extremam omnia sint communia.

3. Magnum periculum salutis animæ propriæ, vel tuorum, ut si periculum sit, ne filiæ tuæ præ inopia se prostituant, vel ne filii latrocinentur: ita tamen, ut non suppetat alia via commoda id avertendi, nisi differendo solutionem. Nam tunc creditor, vel Dominus tenetur ex charitate consentire dilationi, cum debitor sit in gravi necessitate spirituali.

4. Magnum detrimentum in rebus propriis non debitis, modò creditor simile damnum non patiatur ex dilatione, & postea debitor certò sit restitutus. Nam tunc creditor non est rationabiliter invitus circa dilationem: ipse enim rationabiliter vellet sibi tunc concedi dilationem, si esset loco debitoris: tenetur autem tractare debitorem suum eo modo, quo vellet rationabiliter tractari in pari casu. Item contra æquitatem naturalem ageret, si vellet sibi statim restitui cum tanto alterius incommodo. Quare qui non potest statim restituere centum aureos quos debet, nisi domum, vel prædium vendendo multò minoris, quàm valet, potest aliquamdiù differre solutionem. Idem dic si non potest statim solvere sine periculo gravis infamiæ; cum fama sit bonum præstantius divitiis.

Dixi, *in rebus non debitis.* Nam si debitor resti-

restituendo patiatur tantum jacturam in rebus debitis, vel in lucro quod intendit facere ex rebus debitis, non potest idcirco restitutionem differre: hoc enim non est damnum patii in rebus suis, sed relinquere alienas, vel alteri debitas, & non facere lucrum ex alieno, vel alteri debito. Excipe, nisi sine illo lucro aliis creditoribus, satisfacere nequeat: tunc enim creditor tenetur ex charitate permittere dilationem, si commodè possit; & contra rectam rationem vellet sibi statim restitui cum tanto aliorum creditorum damno, quod dilatione solutionis vitari potest sine magno ejus damno.

5. Si debitor non potest restituere sine damno in bonis altioris ordinis longè majore, quàm sit commodum creditoris: nam alioqui non servaretur æqualitas: ideoque tunc restitutio sine injustitia exigi nequit.

6. Est jactura, proprii statûs justè acquisiti; modò debitor suâ culpâ in hoc periculum sese non conjecerit, nec idem periculum subeat creditor. Quia tunc creditor peccaret contra charitatem, si vellet sibi satisfieri eum tanto incommodo debitoris, & sic non est rationaliter invitus: tenetur tamen debitor tenuiter vivere secundum statum, & sibi detrahere, quantum potest de splendore, & decentiâ, quæ non sunt absolutè necessaria ad statum conservandum, ut sensim restituere possit: nam decentia statûs non consistit in indivisi-

bili.

bili. Ita Lessius, & alii. Et generatim quilibet debitor ex justitia tenetur operâ, labore, parcimoniâ, vel aliâ viâ sibi moraliter possibili curare, ut acquirat, unde debita omnia solvat: nam obligatus ad finem obligatur ad media, saltem non nimis difficilia, sine quibus finem consequi non potest.

Dixi 1. *Juste acquisiti.* Nam si quis rapinis, usuris, fraudibus, furtis, aliisve injuriis ad aliquem statum altiorem pervenisset; ex communi tenetur cum ejus jactura statim restituere; quia hoc non est statum suum amittere, sed alienum, ac injustè possessum relinquere, & ad proprium reverti: consulendum est tamen famæ debitoris, quantum fieri potest.

Dixi 2. *Modo debitor suâ culpâ, &c.* Nam si debitor suâ culpâ, putâ ludis, commessationibus, superfluis sumptibus ad eas angustias redactus ut (sic faciunt multi nobiles) non meretur dilationem, & sibi imputare debet quòd non possit restituere sine sui statûs amissione: Ita Sot. Tolet. Lessius, & alii.

Dixi 3. *Nec idem periculum, &c.* Nam ex communi si creditor ob dilationem solutionis amissurus sit statum justè acquisitum, non debet differri solutio: quia extra necessitatem extremam in pari causa damni potior est conditio creditoris, ob jus habendi rem sibi debitam, quod possidet. Et quia tunc esset rationabiliter invitus circa dilationem, cum cate-

ris paribus possit secundum ordinem charitatis se aliis præferre.

7. Damnum spirituale, vel temporale grave ipse creditori, vel alicui tertio probabiliter eventurum ex restitutione. Nam tunc creditor non est rationabiliter invitus, si enim damnum ipsi immineat, tunc differendo ejus negotium utiliter geritur: si alius, ipse tenetur ex charitate pati dilationem sibi graviter non damnosam, ad vitandum gravius damnum proximi. Inò ex charitate tenemur differre solutionem, si creditor pecuniã restituendã certo abufurus esset ad peccandum, & spes sit dilata solutione malum illud impeditum iri: quia ex charitate tenemur impedire damnum grave spirituale proximi, etiam cum aliquo ejus incommodo temporali, si possumus sine nostro gravi damno, ut patet ex correctione fraterna, dum adhibentur testes. Item secundum comunem, ex iustitiã tenemur differre, si creditor re solutã abufurus sit contrã iustitiam; v. g. si furens repetat gladium apud te depositum ad occidendum inimicum, tunc enim gladium reddere esset proximè cooperari homicidio; & alter ius habet ne in talibus circumstantiis gladium restituas, nisi ex recusatione æquale malum tibi impendeat.

Q. 8. *An est obligatio compensandi lucrum cessans, & damnum emergens ex dilatione solutionis, vel restitutionis?*

Resp. Debitor, qui ex culpa fuit in mora solvendã

solvendi tempore debito, tenetur ista compensare: quia peccavit contra justitiam, & ex peccato contra iustitiam oritur obligatio resarciendi damnum inde secutum. Quod si sine sua culpa non restituit tempore debito, adhuc ad id tenetur, si debitum erat ex delicto: quia iniuria præcedens est causa illorum, cum sine illa non contigissent, & debitor ex delicto tenetur creditorem restituere in eum statum, in quo fuisset, si iniuria illata non fuisset: alioqui non integrè resarcitur, & tollitur iniuria.

Sed iuxta multos non tenetur debitor ex contractu justo, nisi fuerit culpabiliter in mora: quia non est causa iniusta, ne quidem mediata, lucri cessantis, vel damni ex dilatione obvenientis creditori; sicque videntur contractus intelligi. Et quia ex Reg. Jur. 41. in 6. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Rectè limitant nisi differat solutionem præcisè ad vitandum damnum aliquod grave, quod statim solvendo pateretur; & non ob necessitatem extremam, vel gravem: nam tunc debitor ex contractu tenetur compensare creditori lucrum cessans, & damnum emergens ex dilatione illa licet iustâ: quia in pari casu potior est conditio creditoris possidentis ius exigendi solutionem; & par non est, ut debitor se ipsum servet indemnem cum damno creditoris, cui solvere potest: unde creditor non tenetur aliter consentire in hanc dilationem.